
GEMMAE PHRYSII

MEDICI AC MATHEMATICI,

De Principiis Astronomiæ & Cosmographiæ, Deq; vsu Globi ab eodem editi. Item De Orbis diuisione, & Insulis, rebusq; nuper inuentis. Opus nunc demum ab ipso auctore multis in locis auctum, ac sublatis omnibus erratis integritati restitutum.



ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioannis Steelsii
M. D. LIII.

Cum Priuilegio Cæsareo ad sexennium.

CArolus. V. Cæsar Augustus vetuit, ne quis hypographus aut bibliopola, in ditionibus & prouinciis Germaniæ suæ inferioris præter Steelsium, sexennio proximo à die quo in lucem dari cœptum est, imprimat, imprimendúmue curet, Gemmæ Phrysii, de principiis Astronomiæ & Cosmographiæ, deq; vsu globi opus ab eodem recens auctum, integritatiq; suæ restitutum. Qui secus fecerit, ei multa centum florenorum & librorum huiusmodi indicta est: vt latius patet in diplomate concesso eidem, & Cæsarei sigilli appensione communito. Datum Bruxellæ. III. mensis Nouemb. M. D. XLIIII.

Per Imperatorem.

De Langhe.

Facta est autem huius libri inuulgatio Cal. Maiis. M. D. LIII.

CVM NOBILI TVM virtute insigni viro Melchiori Schetō Gemma Phrysius Medicus S. D.



Lapsis annis plus minus viginti tribus, cum pro ætatis meæ modo ac capacitate dedissem in lucem Globum Geographicum vnà cū insigniotibus octaui orbis stellis, compulsus sum ab amicis quibusdam simul vsum vtilitatemq; eiusdē sphæræ adiicere. Quod equidē pro ardore iuuenili attentaui. Quàm fœlici Mercurio, iudicent doctiores: illud scio, etiam sine patrono vllo vulgi gratiā inuenisse, quod ex distractione iam tertiò impressorum exemplarium colligere licet. Quum itaq; rursum desiderarentur exemplaria, Ioannes Steelsius vir promouendis bonis artibus natus, non cessauit me vrgere quotidianis precibus, vt opus reuiserem, & quanquā quotidianis Medicę artis occupationibus grauioribus satis superq; distinerer, euicit tamen illius (ferè dixeram importuna) efflagitatio, effecitq; illud, vt succisiuis horis totum opus perlustrauerim ac multa immutauerim, prout vel diuturnior lectio vel grauius iudiciū dictauit: multa adiecerim tum per oscitantiā omissa, ac nō pauca quoq; nigro præfixo thetā notauerim. Neq; enī (vt elegātissime simul ac verissimè inquit Galenus noster) possibile est, homo cum sis, vt nō in multis erres, alia prorsus ignorās, quędam nō rectè iudicās, et nōnulla negligētius scribēs. Quod certè vt in Philosophia naturali verū est, ita in Geographia longè verissimum mihi videtur. Quotidie enim subeunt gentium mutationes ac nomina noua: finium ac terminorū aliæ atq; aliæ distinctiones, fluuiorū quoq; ac sinuum quos oceanus efficit variæ formę. Adde his, quod maxima pars sola narratione constat eorum qui parum habent artis Astronomicæ ac Geometriæ, sine quibus nihil so-

lidi de Geographia constare potest. Hoc quicquid laboris est, quod mihi satis molestum fuit, ob variũ huius rei studium, imò totum opus quod olim abs que patrono audacter (fateor) emisi, tibi vir clarissime dicatum volui, ac merito sanè, quando te aspirare video ad heroicam illam virtutẽ quæ solis imperatoribus ac regibus olim propria erat: defendendi nempe ac promouendi artes Mathematicas, quæ nunc paucos habent Patronos, cum tamen singulari Dei optimi max. gratia hominũ generi datæ sint illę, atq; hactenus conseruatæ, vt & ratio constaret temporum, sine qua historiæ tam sacræ q̃ profanæ multa caligine immersæ iacẽt. Tum vt ex tam præclaro diuinę potentiæ speculo, quod tum in cœlo ac terra, tum in microcosmo ipso, qui ista mirabili ac prorsus diuino intellectu ob oculos ponit, clarè illã Dei potentiam ac mirabilem erga nos curam declarat, cognoscamus ac discamus, illum auctorẽ et reuerendum esse, ac omnibus modis illi obsequendum, adiuuãte nos spiritu domini nostri Iesu Christi, cui sit honor & gloria per infinita secula. Vale vir ornatissime, atque ad fastigium illius virtutes vetẽ heroicæ infracto contende animo, ex qua sanè & nomen mœreberis immortale, & mercede non frustraberis tua: quam tribuet ille, qui hæc dona tantarum artium mortalibus miseris è suo Thesauro bonitatis largitus est. Louanij decimoquinto Kal. Februarij, Anno

M. D. LIII.

PRIMAE PARTIS DE PRINCIPIIS COSMOGRAPHIÆ, CAPVT PRIMVM.



Vum omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat à definitione proficisci, vt lepide ait Cicero Officiorum lib. primo, videbimur nō abs re, definitiones aliquot & diuisiones eorum quorum sæpe mentionem facturi sumus (rem in pauca conferentes) præmittere, vt clare intelligatur totius nostræ narrationis sermo. Mundus igitur est cœlum & quicquid eius ambitu continetur, Eius duæ præcipuæ sunt partes, Ætherea ac Elementaris. Illa decem orbes continet, quorum superior ex ordine inferiorem sua periphæria complectitur. Extremus & decimus orbis primum mobile dicitur, id continuo cursu ab ortu in occasum per meridiem labitur, deinde per septentrionem rursus ad ortum, quem motum .24. ferè horarum spatio conficit, & secum omnes inferiores orbes impetu rapit, Inferiores verò in aduersum obliquo meatu nituntur, adeò vt qui longiori interuallo ab illo primo dissideant, ij velociori cursu motū suum aduersum peragāt, Noni enim orbis (qui aliis cœlum aqueum vel cristallinum dicitur) insensibilis propemodum Mundus Ætherea pars.

 est

est motus contrarius, Quippe qui.49.millibus annorum (vt autores tabularum Alfonsmarum censuerunt) finitur, Vel.36.millibus annorum vt Ptolomæus statuit. Octaui verò qui & cœlum propriè dicitur, item firmamentum, vel ἀπλανὴς secundum Græcos à constantia motus vt putabant veteres: in.7.millibus annorū vt vulgares habent rationes tabularum. Supra etiam firmamentum nullos extare orbes Cicero & plures ante eum opinati sunt, quos tamen ratione motus Mathematicorum inuenit sagacitas. Reliqui orbes inferiores planetarum vel stellarum erraticarum sunt, singuli vnam tantum circumferētes stellam, nam omnes aliæ in octauo cœlo fixæ sunt, Primus ab octauo Saturno tribuitur, Proximus Ioui, Tertius Marti, Quartus Soli, Sequens Veneri, Penultimus Mercurio, Infimus Lunæ orbis est, qui sua superficie concaua hunc mundum inferiorem aut elementarem partē ambit. Constat hæc ex quatuor elementis, & omnibus quæ actione horum in inuicem ex ipsis conflantur. Elementorū supremum ignem, proximū verò aërem esse communis philosophantiū opinio est. Aqua verò & terra simul vnū corpus sphæricum efficiunt, prouidēte id naturæ opifice, qui humanæ potissimū consulens cōmoditati, fecit aliqua parte terram emi-

Elementaris pars.

eminere, alia verò aquam, ita tamen vt Sphæram constituant, vt euidentißime in defectu lunari videre licet. Habet autem sese terra ad cœlum veluti punctum, nam cœlum vndiquaque non plus nec minus dimidia parte conspicuum est. Atque hæ præcipuæ partes sunt mundi, quas alij cum cælo beatorum quod supremum est, quindecim distinguunt. Atque hæc quidem ex opinione magis recepta statuimus. Nā quæ sit in his rebus varietas opinionum, non attinet primum introductis, ac in Methodica tractatione meminisse.

CAPVT SECVNDVM.

De Circulis Sphæræ.

SPhæra solidum est corpus, vna superficie contentum, in cuius meditullio punctum imaginamur quod centrum dicitur, à quo puncto omnes lineæ ad peripheriā ductæ æquales existunt. Tale quidem corpus mundus hic ratione naturali colligitur. Ad cuius imaginē & intellectum, instrumentum Sphæricum construunt Mathematici, quibusdam orbibus circulisq; rationem motus illius indicantibus compositum. Quorum circulorū partiumq; reliquarum deinceps finitiones officiaq; quàm paucissimis declarabimus. Axem sphæræ vocant auto Axis.

res lineam rectã quæ sphæram per æquas secat partes, & super cuius extremis terminis eadem motum perficit. Dicũtur quidem talia puncta,
Poli. *poli, cardines, aut vertices, Et cum duæ sint extremitates lineæ rectæ: altera polus arcticus, ab arctis siue vrsis dicitur, altera polus Antarcticus siue Austrinus: circum tales vertices motus primi mobilis perficitur. Æquinoctialis vel*
Æquator. *Æquator, est circulus secundum omnes sui partes æquali interuallo ab vtroq; polorum distãs, & rectos angulos cum axe mundi constituens, sic dictus, quia sol sub eo motus, vbiq; gentium,*
Zodiacus. *diem nocti æqualẽ facit. Zodiacus, signifer, aut obliquus circulus est, qui cum Sphæra et Æquatorem per æqualia secet, vna ipsius pars versus septentrionem altera versus austrum declinat ab Æquatore spatio. 23. partiũ & semisse quasi, vbi longissime dissidet. Diuiditur hic in duo-*
Signa. *denas partes quæ signa dicuntur. Sunt autẽ hæc nomina: Aries, Taurus, Gemini, Cãcer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Signorum quodlibet in 30. partes aut gradus distinguitur: fit hinc vt totus circulus. 360. partibus constet. Gradus deinceps in. 60. minuta siue scrupula prima, Minutum in. 60. secunda, Secundum in totidẽ tertia, & sic deinceps ad decima vsque diuiditur.*

Simi-

Simili ferè modo quilibet circulorum maiorũ Sphæræ diuiditur in quatuor quadrãtes, Quadrans in .90. gradus, Gradus rursus vt prius. Sub signifero autem in aduersum primo mobili reluctantur omnes orbes inferiores super axe & polis propriis distantibus à polis mundi plus minus .23. gradibus & semisse, Atq; hic motus diuersitatis temporum anni causa est, & augmenti & decrementi dierum, deniq; generationis ac interitus omnium rerum naturaliũ vt philosophice loquamur. Item Zodaicus præter omnes circulos Sphæræ latitudinem habere intelligitur, propter errantium syderum vltra citraq; digreßionem. Est autem hæc latitudo secundum alios .12. secundum alios 16. graduum. Mediam verò latitudinem linea diuidit circularis quam Eclipticam vocant, eò quòd sol & luna cum coniunguntur vel opponuntur sub ea linea, defectum luminis pati dicantur. Sol videlicet obiectu lunæ inter visum nostrum, ad nos transmittere lumen non potest, eò quòd lunæ corpus densum sit ac minimè transparens. Luna verò quia lumen à sole accipit, terræ interpositione inter ipsam & solem, reuera deficit. Sol tamen (quod nulli planetarum faciunt) lineam eclipticam aßiduo sequitur, adeò vt ne digitum quidem Ecliptica.

latum egrediatur. Quatuor sunt in Zodaico pũcta præcipua, duo scilicet in duabus sectionibus æquatoris & zodiaci, vc; in principiis Arietis & Libræ: hæc æquinoctialia vocantur: Sol enĩ

Æquinoctium. sub ipsis constitutus æquinoctiũ efficit in Ariete Vernale, in Libra Autumnale. Reliqua duo puncta inter media in principiis Cancri & Capricorni, Solstitialia appellantur: eò quòd sol cum eò peruenerit, consistere videatur. Horum quod septentrionale est nobis æstiuum, austrinum verò hybernum dicitur, Antipodibus

Coluri contraria ratio est. Coluri duo sunt circuli per polos mũdi protracti, Sphærã ipsam & se inuicem in duo æqualia secantes. Horum alter per puncta æquinoctialia ductus, æquinoctiorum: alter per solstitialia solstitiorum dicitur. Hori

Horizon zon vel finitor (vt ipsum nomen sonat) est circulus qui conspectam mundi partem ab inconspecta dirimit. Duplicẽ distinguunt: Rectũ qui æquales angulos cum Æquatore constituit obliquum, qui inæquales efficit. Qui verò talẽ habent, his sol & reliqua astra obliquo ascendunt & descendunt motu. Variatur autem obliquus horizon in infinitum pro diuersa hominum habitatione. Punctum verticis, quod Arabes Ze-

Zenit nit appellant, est quod secundum perpendiculũ alicui loco in cœlis supraponitur, quodq; æquali

interuallo

interuallo ab omni parte horizontis dißidet, vnde & polus horizontis dicitur. Meridianus circulus dicitur qui per polos mundi & punctū verticis cuiuscunque regionis ducitur: In quem cum Sol inciderit supra horizontem, meridiē, infra verò horizontem, mediam noctem efficit. Dicti verò circuli maiores dicuntur, eo q̄ per æqualia diuidere intelligantur suis superficiebus, habeantq́ idem centrum cum centro totius sphæræ. Minores verò quatuor sunt, Duo polares eò quòd circum polos mundi per polos zodiaci ducantur. Vicinus polo arctico Arcticus dicitur, alter Antarcticus. Reliqui duo tropici vocantur, ab vtraq; parte æquatoris, æquali tamen secundum omnes sui partes ab eodem distātia circumducti. Horum qui ab Æquatore versus arctos recedit Tropicus Cancri dicitur, quia Sol in initio Cancri constitutus talem circulū motu raptus describit. Alter, circulus vel Tropicus Capricorni ob similem rationem dicitur. Hi duo circuli limites Soli statuti sunt quos ille nunquam transcendit, licet iidem limites ex motu trepidationis octauæ Sphæræ aut alio quopiam varientur: Verum eam rationē motus, cum nostro non conueniat instituto, in præsentiarum missam facimus.

Meridianus. Circuli polares Tropici Cācri cir. Capricorni

FIGV-

FIGVRA CIRCV-
LORVM SPHAERAE.



CAPVT III.

De zonis & Climatibus.

OMnes itaq; iamdicti circuli vt in cœlo finguntur, ita in subiectæ terræ superficie eos describi imaginandum est. Fit hinc vt quatuor minores circuli quinque spatia in cœli & terræ superficiebus distinguant, quæ propter similitudinem zonæ nominatæ sunt. Duas extremas circulis polaribus interclusas, antiqui non habitabiles ob rigidum perpetuo cœlum asseruêre. Mediam similiter ob intemperatum Solis ardorem, est enim inter duos tropicos interclusa, Verum nostræ ætatis scriptores eam non solum habitabilem, sed temperatam esse & rationibus contendunt, & experientia comperti sunt. Sub qua cultißimæ fœcundißimæq; deprehendantur regiones. Reliquas verò duas zonas inter polares circulos & tropicos interceptas, habitabiles temperatasq; esse liquido constat. Distinguitur etiam terræ superficies secundum aliam rationem. Quanto enim aliqua regio latius ab Æquatore in alterutram partem declinauerit, tanto plus æstate diei longißimæ, & vicißim hyeme noctis quantitas augetur: adeò vt quæ maximè distet scilicet.90.gradibus, ea diem longißimam sex mensium habeat, noctemq; vicißim diei æqualem: Zonæ. Climata

Qui

Qui verò sub ipso Æquatore consistunt, perpetuo diem nocti æqualem. 12 horarum habent. Ratio huius diuersitatis ex Sphæra materiali & ex nostro globo Geographico ob oculos poni potest. Ptolomæus igitur et alii classicorum scriptorum nonnulli pro diuersa quantitatis dierũ variatione, diuersas plagas terræ seu climata distinxere, ita scilicet vt tale spatium dimidiæ horæ quantitatẽ in latitudine contineat, & in modum zonæ per totum orbem ab occasu in ortum protendatur. Loca verò talibus climatib. subdita ipsis noĩa indidere, vt primũ clima ab Æquatore versus polum arcticum διὰ μερόης vel per Meroën vocatur, eò ꝙ medium huius climatis per Meroën (quæ est insula Aphricæ Nilo circumfusa) transit. Secundum per Syenen. Est autem Syene vrbs Ægypti tropico Cãcri subdita. Tertium per Alexandriam vrbem scilicet in ora Aphricæ sitam. Quartũ per Rhodum. Quintum per Romam vel per Hellespontum. Sextum per Pontum. Septimum per Boristhenis hostia. Hic verò fuit finis climatum antiquioribus, quippe quibus regiones vlterius ignotæ erant. Addunt alii octauum per Ripheos vel Meotidis paludes, Nonũ per Daniã &c. Augetur quidem horum climatum diei prolixioris quantitas vna semihora, hoc est, quotum

quodq;

quodq; est clima, tot semihoris dies eius maxima, superat duodecim horas. Vt in initio primi climatis dies longissima continet. 12. horas, & semissem. In fine verò qui idem est cum initio secundi climatis. 13. horas. Sic si deinceps vnam semihorā addiderimus pro singulis climatibus, habebimus semper quantitatem diei maximæ pro tali climate. Quod nunc diximus de Climatibus septentrionalibus, eadem ratione de austrinis intelligi volumus, nisi q̃ hæc propriis nō appellantur nominibus, sed per contrarium vt ἀντιΔιὰ Μερόης, ἀντι διὰ συένες &c.

CAPVT IIII.

De Parallelis.

Paralleli sunt circuli æquo à se inuicem distidentes interstitio, adeò vt si in infinitum protrahi intelligantur, nunquàm sese mutuo contingant. Varij possunt adsignari in Globo paralleli, verum Ptolomæus, quem in omnibus nobis imitandum statuimus. 21. parallelos septentrionales descripsit, ea ferè ratione qua Climata diximus terminari: nisi quod Climata per mediæ horæ spatia procedant, Paralleli verò per quadrantes tantum: hoc est, sicut initium vnius climatis præcedentis initium vincit vna semihora: ita paral-

parallelus præcedentem quadrante superat, vsq; ad decimumquartum parallelum, cuius longissima dies est quindecim horarum & semissis, vt ex ordine parallelorum quiuis facilè supputauerit. Hinc verò per medias horas ad vndeuigesimum vsq; parallelum inceditur, cuius maxima dies continet. 18. horas. Demum additione integræ horæ ad.21. parallelum deuenitur, qui per Thylen insulam transit. Huius diei maximæ quantitas.20.horas continet. Vlterius Ptolomæus non distinxit, quandoquidē ignotum erat quicquid telluris ab Aquilone vltra parallelum per Thylen protractum describitur. Licebit tamen vlterius quantitate vnius horæ addita ad vigesimumquintum, deinde mensis excessu ad.30. parallelum deuenire. Sunt qui ab ipso æquatore Climata sumere initium volunt, Sed cum hæc ratio solo ordine distet, & illa iam à nobis tradita vsitatior sit clasßicis scriptoribus: superuacaneum videtur plura de his verba facere. Quantum verò paralleli & climata ab inuicem & ab æquatore distent, lucidißime in Globo nostro videre licet. Possemus alioqui id per tabulas & figuras ob oculos ponere.

De lon-

De Longitudine locorum.

CAPVT QVINTVM.

DVplices sunt in Globo Geographico quę ad similitudinem terræ effingimus circuli, Pars enim per polos mũdi deinde per cuiusuis loci punctũ verticis in cœlo, aut in terræ superficie per loci sitũ protrahi intelligitur. Tales meridianos appellari nõ est dubium, omnesq́ in polis mundi coire, & per quemcunque locum duci posse, eosdemq́ terminos esse longitudinis regionum. Longitudo itaque regionis aut cuiuscunq́ loci, est portio Æquatoris inter meridianum talis loci, & meridianum qui per insulas fortunatas ducitur, intercœpta: Nam ab his insulis initium longitudinis sumitur, progrediendo ab eis versus ortum vsque in eundem locum. Nostro autem Globo.24. meridianos inscripsimus, quorum bini quilibet proximi spatium vnius horæ intercludunt: Et loca talibus duobus proximis subiecta meridianis, vnius horæ interuallo dissidere certum est: Hoc est orientalior eorum, meridiem, mediam noctem, eclipses lunæ, coniunctiones & oppositiones luminarium, vna hora prius habebit quàm occidentalior. Si verò per duos meridianos descriptos distiterint, vel si.30. gradibus in lõgitudine ab inuicem elongata fuerint, duarum horarum talis

Meridiani.

Lõgitudo.

differentia oppositionũ cõstituetur: Vnus denĩque gradus differẽtiæ longitudinis quatuor minuta horaria cõstituit. Ex his paululum etiam instituto Arithmetices disciplinis cætera colligere dabitur, siue.10.siue.40.graduum hæc distantia, quæ differentia longitudinis diei consueuit, reperiatur.

CAPVT SEXTVM.

De Latitudine locorum.

A*ltera pars circulorum Globi, circum polos mundi, & æquali vndique secundum Æquatorem & se inuicem protractu circumducitur. Tales quidem etiam paralleli dicuntur, & simili ratione per quemcunque locum secũdum loci ipsius ab Æquatore recessum describi possunt, & hi latitudines regionum finiunt.* Latitudo. *Est autem latitudo, arcus meridiani cuiuscunque loci, inter Æquatorem & parallelum qui per eiusdem loci punctum verticis ducitur interclusus, Hanc æqualem esse eleuationi polari supra horizontẽ non est dubium: Nã si quis sub Æquatore consisteret (cum medium cœli tantum conspicuum sit) vterque polorum horizonti applicaretur: Si verò idem in alterutram partium puta septentrionem vel austrum digrederetur, tantum ipsi alter polorum supra horizontem emineret, quantum iam punctum ver-*

verticis ipsius ab Æquatore declinaret, quippe si punctum verticis ad polum vsque deductum esset: hoc est, si quadrante circuli ab Æquatore dißideret: iam Æquator vice mutata vndique horizōti applicaretur. Patet ergo eandem esse, hoc est, quantitate, seu partium numero parem latitudinem regionis & eleuationem poli supra horizontem, differre tamen ratione: Nam eleuatio poli, est arcus meridiani inter polum mundi & horizontem cuiuscunque loci interceptus, latitudo autem iam antea dicta est. Latitudo igitur regionum ab Æquatore in austrum vel septentrionem supputatur, quamuis Glareanus dixerit à septentrione in austrum, longitudo autem ab occasu in ortum. Duplex etiam hinc colligitur latitudo locorum, Borea altera, reliqua Austrina. Eleuatio Poli.

CAPVT SEPTIMVM.
De diuersis habitationum nominibus.

EX vmbrarum ratione tria habitationum nomina oriuntur, Amphiscij scilicet, Heteroscij, & Periscij. Amphiscios vocant autores, quorum vmbræ in vtramque partem, puta Austrum & Boream iaciuntur. Heteroscios quorū vmbræ in alterā tantū Amphiscij. Heteroscij. Periscij.

vergunt partem. De his exemplum apud Lucanum est. Ignotum vobis Arabes venistis in orbem, vmbras mirati nemorū non ire sinistras.

Perisciį. *Perisciį verò sunt quibus vmbræ in modū molarum circumgyrantur. Sunt autem tales quicunque sub zonis extremis habitant, vt Pilappi & vicini. Heterosciį verò sunt quicunque in zonis temperatis scilicet inter circulos polares & tropicos habitant, vt Itali, Hispani, & totius Europæ incolæ cū Asiæ maxima parte. Amphisciį demum sunt quorum inter duos tropicos aut sub torrida zona habitatio est, vt Æthiopes, Arabes, & Indi. Rursus populi ad*

Periœci. *inuicem collati, aut dicuntur Periœci, aut Antœci vel Antipodes. Periœci vel circumcolæ dicuntur, qui sub eodem climate & parallelo, & sub eodem meridiano continentur, sed inter eos mediat polus mundi: Hique eandem rationē temporum anni habent, quippe cum illis hyems est, etiam hi hybernantur: Verum in horarum spatiis multum distant, nam cum illis media dies est, his concubia nox ingruit. Tales ferè sunt insularum fortunatarum incolæ cum Sinarum*

Antœci. *populis. Antœci sunt quorum situs est sub meridiani alicuius eadem medietate: Verum parallelus vel latitudo vnius regionis tantum ab Æquatore versus austrum, quantum alterius*

pun-

punctum verticis vel latitudo versus Septentrionem cedit. Sic Ægyptij cũ extremis Aphricæ habitatoribus Antœci dicuntur. Et hi simul in contraria anni tempora incidunt, his enim hyeme existẽte, illi æstate fruuntur: Verum cũ eadem longitudo sit vtriusque, eodem eis momento meridies & media nox apparet. Demum Antipodes dicti quòd inuicem vestigia obuertant: eidem meridiano & contrariis parallelis æquali tamen interstitio ab Æquatore descriptis, subiiciuntur. His contraria omnia accidunt, hyems & æstas, dies ac nox, ortus & occasus, habent eundem horizontem, sed opposita hemisphæria. Ita Americæ extremi versus meridiem habitatores Antipodes dicuntur Tectosacibus Schithiæ populis. Verum tales re ipsa existere, multi præcipue Diuus Augustinus & Lactantius præter fidem esse contendunt, licet iam experientia compertũ sit. Lactantius alioqui philosophus non vulgaris, ea ratione potissimum moueri videtur, quod cœlum terra inferius esse non poßit: cum interim quid inferius sit aut superius respectu totius machinæ mundi, videatur ignorasse.

Antipodes. Lactantii opinio.

CAPVT OCTAVVM.

De Ventis.

SOlent etiam regiones ad inuicem comparatæ per ventorũ situs, aut secundũ plagas mundi describi. Vt cum dicimus: Hispania habet ab ortu Pyrenæos montes & Galliam. Item Germania clauditur ab occasu Rheno fluuio, &c. Tali via Geographi ferè omniũ locorum situs describunt, & huius cognitio plurimum ex re nautarum est, qui longinquas adire regiones conantur. Nam illud in primis ipsis considerandum est, in quam cœli partem dirigenda sit prora, & quo vento duce opus sit ab vno loco ad alterum tendẽtibus. Cosmographi. *Cosmographi verò ex superiorum consyderatione regiones distinguunt, ceu per parallelos, meridianos, & similia: Vt cum dicimus, Roma habet latitudinem. 41. partium & .50. minutorum, longitudinem. 36. partium & trientis. Talem differentiam Cosmographiæ & Geographiæ Ptolemæus lib. 1. cap. 1. adsignat.* Ventus. *Est autem Ventus secundum Phisicos, exhalatio calida & sicca, lateraliter secũdum terram mota: Sortiuntur verò sua nomina pro diuersis à quibus impelluntur mundi partibus. Vbi notandum, quòd ex veterum sententia cuiusque regionis horizon*

in.12.ſpatia diuiditur,quæ ventorum nominibus inſcribuntur. Quatuor principales ſunt venti, Apeliotes vel Subſolanus, ſtans ab ea parte qua Sol in æquinoctiis oritur, hic idem Leuans nautis quibuſdam dicitur. Zephyrus vel Fauonius ab occidente irruit, hunc nautæ Ponentem vocant. Aparctias vel Septentrio à polo ſeu à media noctis angulo procedit, Hydrographis Tranſmontanus dictus. Auſter vel Nothus à meridie oritur. Horum autem quilibet binos ſocios ſibi collaterales habet: Subſolanus enim Cæciam vel Helleſpontium verſus Septentrionem, Eurum vel Vulturnum ab alia parte iunctos habet. Zephyro Lips vel Africus ab Auſtro iungitur, Iapyx vel Corus ab altero latere. Septentrioni Boreas vel Aquilo vicinus eſt, verſus ortum: Thraſcias, Circius vel Gallicus verſus occaſum. Auſtro Libonotus ab occaſu, Euronotus vel Euro Auſter ab ortu adiacet. Tali diſtinctione veteres contenti fuêre. Nautis alia ratio ventorum eſt, Hi enim horizontem in.32.partes diuidunt aut in.16.ventoſque ſuis nominibus compoſitis ex quatuor principaliũ ventorum nominibus diſtinguunt. De qualitatibus autem ventorum hoc ſciendum eſt, Subſolanum cum duobus ſociis calidæ & ſiccæ eſſe Ponens.

naturæ: Zephyrum frigidæ & humidæ: Austrum cum vicinis vtrinque sociis calidum & humidum, ideoque tonitruosum, pestiferum, & insaluberrimum: Septentrionem econtra frigidum & siccum, & maxima ex parte animantibus, frugibus non æquè salubrem.

CAPVT NONVM
generalia quædam subnectit.

QVum terræ superficies non vna sit, neque continua, sed diuersis marium sinubus perfossa, atque adeo penitus interrupta: Autores eã parte quæ tota ferè maiori superficiei cõiuncta sit, Continente vocauerũt vel terram fixam, vt sunt Europa, Asia, & Aphrica. Insulam autem vocauerunt plagam terræ vndique oceani fluctibus circumfusam, & à maiori parte habitabilis portionis dissectam, vt, Anglia, Sicilia, Creta, &c. Peninsulam vero siue Chersonesum quasi pene insulam, quia non tota mari circundata est, sed angusti protractu maiori parti terræ habitabilis connectitur: Huius exempla sunt Italia, Peloponnesus, Taurica chersonesus, &c. Partem denique eam qua peninsula continenti adhæret, Isthmum appellari vidimus. Est enim ἰσθμὸς angustus quidã terræ tractus inter duo maria comprehensus. Sunt infinita præterea nomina Geographis

Continẽs

Insula.

Peninsula.

Isthmos.

graphis vsitata, quæ omnia definire Grammaticorum magis est quàm Cosmographorum: vt sunt Regio, Regnum, Prouincia, Gens, Populus, &c. Item Mons, Promontorium, Vallis, &c. Rursus aquarum multiplicia nomina, Oceanus, Mare, Fluuius, Flumen, Riuus, Palus, Lacus, Sinus, & similia: atque ob id meritò omittenda censuimus.

SECVNDA PARS
DE VSV GLOBI.

De Globi partibus.
CAPVT PRIMVM.

DELIBATIS *theorices huius artis principiis, ad praxim accingimur: quã & si variis multisq; instrumentis possemus docere, cùm tamen inter omnia nullum tam perfectum, tam generale sit, quod tantum præstare poßit, quantum corpus sphæricum ad similitudinem vniuersi confectum: omißis omnibus aliis hoc arripiemus, quod citra omnia ferè alia, omnem propemodum huius artis vsum indulgere poßit. Principio itaque tale corpus sphæricum, quale summa diligentia, nec minori artificio nuper construximus, omnes circulos sphæræ* Circuli sphæræ.

de quibus antea diximus habet, alios tamen vt Æquatorem, Tropicos, Parallelos, &c. in ipsa superficie conuexa globi: Super quibus quanto Regiones. *potuimus studio Regiones, Insulas, Montes, et Fluuios, adscriptis passim nominibus, seruataq́; horum exactissima ad inuicem symmetria, produximus. Praeterea vt ampliori vsui foret, stellas imposuimus, non quidem omnes, sed tantum potiores, insigniores q́; quae scilicet Astronomis & Cosmographis inseruiunt. Porrò iuxta primum Meridianorum qui per insulas fortunatas ducitur, adsignauimus gradus latitudi-* Latitudo. *num ad polos vsque: Iuxta eosdem verò gradus in parte septentrionali, climata & paralle los secundum suas ab Æquatore distãtias, qui eandem etiam rationem distantiae versus Austrum habere debent intelligi. In australi verò parte eiusdem meridiani adiecta sunt miliaria Italica tribuenda vni gradui longitudinis extra Æquatorem, secundum diuersam latitudinis rationem: ex quibus proportio parallelorum ad Æquatorem colligi potest. Quanto enim Parallelus remotior ab Æquatore fuerit, tanto strictior euadit. Per haec etiam ex itinerum interuallis, longitudinis aut latitudinis (altero istorum vnà cum angulo positionis cognito) quantitas haberi potest, licet difficili modo ac via.*

via. Sed talis globus parum vtilitatis præstiterit, nisi accedant præterea orbes ænei vel ex quauis alia materia firma solidáue constructi, in quibus talis globus moueri possit. Hos autem extra corpus sphæricum applicare oportebit. Primum itaque necesse est, vt ex ære, ferro, vel ligno construatur meridianus, diuisus in quater. 90. gradus, quibus etiam possent adsignari climata & paralleli, nisi hæc in globi superficie locassemus. Huic meridiano affigetur globus axe quodam ferreo vel duobus clauiculis tali arte, vt si globum circumducas, etiam axis cum globo rapiatur. Præterea ad eundem meridianum cyclus quidam pro arbitrio magnus adaptabitur circum polum mundi arcticum, diuisus in vigintiquatuor horas, diceturq́ ob hoc cyclus horarius. Insuper cũ axe et globo, circũagetur index horarius per cycli horarij spatia. Apposcit hic Meridianus Horizontem ligneum, in quo secundũ eleuationẽ poli circumduci possit. Cõtinebit idem in sua superficie quæ lata erat duodecim plagas mundi, Mensiũ dies, cũ zodiaci signis & gradibus correspõdentibus. Deest iã operi quadrãs circuli ex lamina ænea secundum globi gibbositatẽ formatus, hunc alij quartam altitudinis vocant, qui instrumento quodam exemptili quod puncti verticis vicem Meridianus. Cyclus horarius. Index. Horizon. Quarta altitudinum.

adim-

Circulus positionis *adimplebit, meridiano affigetur. Item circulus positionis qui semicirculus est affixus horizontis & meridiani duabus sectionibus, exemptilis etiam, vt ab vna medietate in aliam transferri posit: Hic Astrologorũ iudiciis inseruit.*

Angulus sphęricus. *Demũ angulus siue gnomon sphæricus pro vmbra solis iacienda. Profecto talia instrumenta non tam apte describi quàm demonstrari ad oculum possunt. In fronte libelli oĩa ferè depinximus. Additur istis alius quadrans secundũ sphæræ gibbum incuruatus, qui interdũ polis zodiaci, interdum polis mundi applicandus erit, pro vario rerum vsu: Demũ non inutile fuerit perpendiculum à sede globi demittere, subiectũ habens stylum acutum. Cui dum exactißime imminet perpendiculum, certum sit globum recte sursum consistere.*

CAPVT SECVNDVM.

De vsu Globi generali.

Q*Vantum vtilitatis, quãtum delitiarum ac iucunditatis adferat Globus hunc in modum instructus, difficile fuerit credere inexperto: Nam super alia quæuis instrumẽta facilem vsum eumq́ amplum præbet Astronomis, Geographis, Historiographis, Legumperitis, Grammaticis, & naucleris, deniq́ cuiuis hominum generi vtilis, & præter hæc gratißimus*

mus sua forma existit. Vt autem alienis partis meo nõnihil parcam labori, magnam vsus partem explicabit libellus quidam Ioannis Schoneri de vsu Globi astriferi, Quicquid enim ille suo globo adscribit, id totum, imò plus hic noster efficiet. Docet autem ille libellus qua arte per Globum inueniantur Locus Solis in signifero, Eleuatio poli, Linea meridiana, Hora diurnæ ac nocturnæ, Quantitas dierum, Ortus solis & occasus, Ascensiones rectæ ac obliquæ, Declinationes, Horæ inæquales, Quam partem mundi sol vel quoduis sydérum occupet, Quomodo cognoscãtur nomina stellarum visu è cœlo apprehensarum. Docet itẽ duodecim cœli domicilia distinguere, Deinde secundum ea significatorem dirigere, Demum horologia aut in plana horizontis superficie, aut in muri ad perpendiculum erecti planitie describere, & plura alia quæ venustius describi vix possent, nisi fortassis compendiosius. Verum quum noster Globus multo plura præstare poterit, & præterea ille quædam omiserit quæ aut faciliori via inueniri, aut per nostrum Globum commodius quàm per alium haberi possint: visum fuit nobis non incongruum omnẽ huius instrumẽti vsum q̃ poterimus breuissimis capitibus subnectere, Quod quidem neque illi ignorantiæ, neque mihi arrogantiæ

gantiæ ducendum volo: Fit enim plerunque vt non omnia poßimus omnes, faciliusq́ fit rei inuentæ aliquid addere, quàm latentem primitus adinuenire.

CAPVT TERTIVM.

Qua ratione mundi cardines siue plagæ inueniantur, & globus secundum easdē collocetur.

DOcet hanc rem Ioānes Schonerus per meridiei obseruationē, itemq́ Horologij cuiusdam quē compassum dicunt adiumento: Verum quouis tempore diei sole tamē radiante absq́ compasso votis tuis potieris, cognitis tantummodo latitudine regionis & loco Solis sub signifero. Sed & globus ad libellam constituendus est, in plano nullam in partem inclinato. In quem vsum solemus perpendiculum ex alueo suspendere, cui in imo pede stylt apex respondeat. Facile enim sic videbitur in quā partem procumbat globus, & nutatio corrigetur. His igitur conceßis, meridianum mobilem cum Globo eidē affixo circumagito, donec polus tot gradibus supra horizontem emineat, quot latitudo tuæ regionis continet, adiunctoq́ stylo anguli sphærici, aut quocunq́ alio secundum angulos rectos super loco solis in Globo signato, modo sedem globi vnà cum globo, modo globum se

orsum

ersum huc atque illuc circumducito, donec stylus è regione Soli locatus, nullam penitus umbram in globi superficie cõuexa proiiciat: Tum enim oẽs plagas mundi ex eisdem in horizonte descriptis, aut per meridianum exteriorẽ cognosces. Praeterea omnem situm coeli, sydera ascendẽtia & sub horizontem tendentia, horam diei, duodecim domicilia & multa alia: Illud tamen studiose obseruasse oportuit, ut latus Globi orientale soli, dum ab ortu ad meridiem incedit, obiiciatur. Occidentale verò eidem meridiem relinquenti. Vbi verò semel huiusmodi situm exactissimè adinueneris, licebit secundũ eum in infima parte sedis globi indicem Magnetuum siue compassum dirigere ac firmare, ut deinde perpetuo die ac nocte artem hanc locandi globum secundum coeli aspectum respõdentẽ, in promptu habeas. Haec Ioãnes Schoner nõ habet in suo libello, cum tamen mihi periclitantĩ primum compassi situm inuenire, plurimum fecerit ea res negotij. Obseruandum.

CAPVT QVARTVM.

De loco Solis inueniendo.

IN horizonte descriptos esse ventos, signa zodiaci & menses cum suis diebus diximus: ex his igitur locus Solis petendus est: quodcunque enim signũ, & quicunque gradus signi diei tuae in-

que

qua locum Solis quæris è directo responderit, is est locus Solis eo die & eo mense. Verum in anno bisextili si post vigesimumoctauũ diem Februarij locũ Solis quæras, semper vnus dies adiiciendus est diei præscripto: vt si quæras locũ Solis vndetrigesimo Februarij, accipias gradũ qui respondet primo diei Martij scilicet vigesimum Piscium & .50.mi. Et ita deinceps agẽdum ad finem vsq; anni. Præterea pro exactiori calculo scire conuenit ad quem annum loca solis in horizonte constituta sunt. Nam solum quaternis annis re vera cum calculo congruent, primo à singulis quaternariis anno auferẽdus quadrans gradus, secundo dimidius, tertio tres quadrantes. Idque si calculatio seu constitutio prima fuit facta ad annum primum à bisexto. Quemadmodum noster globus ad annum Domini millesimum quingentesimum & vndetrigesimum constitutus est. Itaq; ad annos .15.33. 37.41.45.49.53. reliquosq́; simili ordine sequẽtes calculus satis respondebit. Annis vero, 34. 38.42.46.50.54. & similibus auferendus quadrans vnius partis. Annis vero .35.39.43. & reliquis, auferenda semissis. Annis bisextilibus vero auferendæ tres quadrantes. Seruata cautione à nobis antea dicta. Quin etiam per successioncm longam alia correctione opus fuerit, Nam

Nam in centenis ferè annis adiicięda sunt. 44. ferè minuta, & in aliis pro ratione. Atque hæc pro instrumentorum vsu (qui calculo est infe rior certitudine) sufficiunt. Ex radiis solaribus similiter inuenitur locus Solis, verum non tam exacte, hoc pacto. Constituatur globus in plano vt ei secundum perpẽdiculum insistat (quod fa cile per perpendiculum animaduertitur quod sedi globi consueuimus addere) deinde vbi me ridiem Sol pertigerit, id quod ex indice Magne tico in hoc negocio suffecerit didicisse, locato glo bo secundum eleuationẽ poli, & secundum pla- gas mundi, applicetur Gnomo sphæricus lineæ eclipticæ apud meridianum circulum, & eo vs= que circumagatur globus sede immobili perma nente, donec stylus gnomonis omni vmbra ca- reat, eo tamen obseruato quòd gnomo inter vol uendum ab ecliptica & à meridiano non rece- dat, sed lineam eclipticã vel ascensu vel descen su imitetur: præterea vt ea medietas eclipticæ soli obuertatur quem sol eo tempore peragrat, scilicet vel à Capricorno ad Cancrum vel hinc ad Capricornum. Vbicunq; autem stylus gno- monis constiterit in ecliptica linea nullam pro= iiciens vmbram, ibi est locus Solis eo die.

Ex radiis solaribus

CAPVT QVINTVM.

De Latitudine Regionum.

Latitudinem regionis eandem esse cum eleuatione poli diximus: quam sic inuenies. Obserua donec Sol meridiem attigerit, idq́ indicis Magnetici adminiculo, aut ex vmbræ breuitate edoctus. Deinde Sole lucente globum in plano constitue quàm rectißime, & eo vsque cum sede circumducas quo meridianus circulus Soli obiiciatur, hoc est, vt nullam vmbram in latus proiiciat, sed sub se: quibus actis locũ Solis lineæ meridianæ, & gnomonem sphæricum loco Solis applica. Demũ sede globi permanente, globum cum meridiano & gnomone sphærico sursum deorsumue circumagas, donec gnomosphæricus nullam vmbram in latus proiiciat: Tunc enim si gradus numeraueris, qui sunt inter horizontem & polum arcticum globi, habebis eleuationem poli regionis propositæ.

Noctu. *Noctu verò si idem per stellas fixas libet inuenire ita agito. Accipe per quadrantem aliudue instrumentum altitudinem alicuius stellæ cognitæ maximam, hoc est dum ea circa meridiem constituta fuerit. Quam vt accepisti fac vt eadem stella in globo descripta, eandem altitudinem supra horizontem habeat, quam eam*

in cœlo habere comperisti, extollendo scilicet globum cum meridiano, vel deprimendo, donec tot sint gradus meridiani inter stellam ipsam ad Meridianum collocatam, & inter horizontem, quanta fuit altitudo illius cœlestis inuenta, & quot rursus gradus numeraueris inter horizontem & polum à parte septentrionis, tanta est latitudo regionis in qua hæc experiris. Quod si aliqua fuerit stellarũ octaui orbis quæ nunquàm nobis occidunt, poterit similiter per minimam eius altitudinẽ opus istud perfici atque per maximam. Addam iam aliquid quo citra lineæ meridianæ exactam obseruationem aut horarum cognitione, quouis momento nostis eleuationem poli licet addiscere. Hoc tentaturus accipio duarum vel trium stellarum altitudinem per quadrantem, eodem quatenus fieri potest momento, earum inquam stellarum octaui orbis, quarum vna versus ortum altera versus occasum sita est, & quarum situs in globo constituti sunt. Acceptis igitur altitudinibus curo vt eædem stellæ in globo simul habeant suam quæque altitudinem, per eleuationẽ globi cum meridiano susq; deq;, & per applicationem quartæ altitudinis ad ipsas stellas, & quot fuerint gradus in meridiano inter polum & horizontem tanta est latitudo regionis.

Hoc tamen sciuisse oportuit pro austrinis regionibus globum vertendum esse, vt polus antarcticus supra horizontem constituatur.

CAPVT SEXTVM.

De nouo modo inuestigandi latitudinem regionis absq; Meridiani vel loci solis cognitione.

EXcogitauimus alium modum pulcherrimum, quo vno die vel paucis horis licebit latitudinem loci cuiuscunq; addiscere, etiamsi neq; locus solis, neq; hora, neq; Meridiani situs cognitus fuerit. Statuatur itaq; sphæra solida in aperto loco fixa, vt à loco suo non facile moueatur, neq; situs ratio habeatur vlla, neq; latitudinis regionis. Sole igitur lucente, applicetur gnomo sphæricus globo ita vt nullam proiiciat vmbram, noteturq; locus in sphæræ superficie. Deinde post notatu dignum temporis interuallum, nempe post horam vel duas plus minus, eodem modo alius punctus notetur. Ac tertio idem fiat post horam duas tresue alias elapsas. Neq; refert an horarum spacia sint æqualia, aut exquisita: sed sint hæc tempora cuiuscunque quantitatis, modo distent notatu digna differentia: quæ quanto maior fuerit, tanto exquisitior erit ratio. Punctis igitur tribus sic diligenter

genter aßignatis, sphæraq; prorsus fixa manente: accipiatur circinus cuius pedes introrsum incuruati sint nonnihil, distendaturq; ad quadrantis sphæræ amplitudinē, quo per bina quælibet puncta describatur circulus maior sphæræ. Singuli mox arcus in æqualia diuidantur. Deinde ex singulis medietatibus describantur circuli maiores, posito circino in circulo per illa puncta (quorum singulæ medietates proponuntur) transeunte. Concursus istorum circulorum duos polos mundi indicabit: quorum qui supra horizontem extabit nobis Arcticus est. Quòd si tria puncta in vno circulo magno collocata deprehendantur, talis circulus necessario erit Æquator: & duo circuli concurrētes polum indicabunt. Si verò non in circulo maiore collocentur, sed tribus arcubus connectantur circulorum maiorum: iuncto vt antea diximus polo, alter circini pes in polo statuatur propiori, reliquus ad vnum punctorum contrahatur: describaturq; circulus ex polo, qui per tria illa puncta transibit. Hic est parallelus à sole descriptus motu raptus. Hic quantus supra horizontem extat, diuidatur in duas partes æquales. Deinde per polum mundi inuentū, & punctum medium arcus diurni, hoc est illius paralleli supra horizontem extantis, describatur circulus Poli inuentio. Parallelus solis.

maior, distenso circino ad quadrantis amplitudinem vt antea. Sic habebis Meridianum circulum, qui quoq; per punctum verticis trãsibit. Meridianus.
Iam igitur quantus sit arcus huius Meridiani à polo ad horizõtem, facilimum erit metiri per gradus in sphæræ circulo maiore notatos: atque hæc est latitudo regionis. Rursus ex polo describe circulum maiorem, qui erit Æquator. Vnde mox videbis solis quoque declinationem, arcum scilicet inter Æquatorem & parallelum à solis circumductione descriptum, quem per tria puncta descripsimus. Simul quoque plagas mundi inuenisti, hoc est Meridiem, Orientem, Occidentem, & Septentrionem. Itaque habes modum pulcherrimum, quo tria simul ignota deprehenduntur, Latitudo regionis, & solis declinatio, ex qua locus eius in zodiaco colligitur: & Meridiei inuentio. Tantum illud obseruetur, vt horizon ad libellam collocetur, adhibito in eum vsum perpendiculo.

Æquator. Declinatio solis. Meridies. Obseruandum.

CAPVT SEPTIMVM.

De lõgitudine, latitudine, declinatione, ascensione recta & obliqua syderum.

Lõgitudo. *Longitudo stellarum, est distantia earum in zodiaco à principio Arietis, hoc est arcus seu portio Eclipticæ inter duos semicirculos magnos comprehensus, quorum alter per*

per principium Arietis, alter per stellam ipsam, vterq; per polos zodiaci ducitur. Latitudo verò distantia ab ecliptica versus polos zodiaci, Vnde duplex distinguitur: Septentrionalis & austrina. Si igitur sydus aliquod in parte septentrionali situm fuerit, Remoue à meridiano quartam altitudinis cum instrumento cui adhæret, hoc autem instrumentum applica polo zodiaci septentrionali, ibiq; fixum vna manu tene, altera manu volue quartam altitudinis ad stellam cuius longitudinem quæris & latitudinem. Aut commodius fuerit alium quadrantem ex ære conficere, qui stylo paruo in polis zodiaci figi possit, & circumquaque duci ad quasuis stellas et cœli partes. Gradus igitur eclipticæ in quem extremũ quadrantis desinit, indicat longitudinẽ stellæ. Latitudinem verò supputabis ab ecliptica vsq; ad stellæ locũ in quarta altitudinis siue quadrãte. Similis est ratio in austrinis. Atq; hac industria depingimus loca planetarũ in globo habita lõgitudine & latitudine ex tabulis, voluẽdo deinde scilicet quartã altitudinis ad gradũ lõgitudinis in ecliptica, latitudinem verò in quarta altitudinũ siue alio quadrante quærendo: ibi enim est locus planetæ: qui aut cera aut carbone notandus est vt possit facile deleri, nam hæc loca indies migrãt.

Latitudo.

Planetarũ loca.

Declinatio *Declinatio Solis vel stellæ cuiuslibet est distantia eius ab Æquatore versus polos mundi: Atque hæc itidē duplex est, septentrionalis & meridionalis, secundum duos polos mundi. Inuenitur ex globo admouendo stellam vel locum Solis ad circulum meridianum, numerandoq́ gradus meridiani inter Æquatorem & locum Solis vel stellæ interceptos: nam hi declinationem definiunt: quæ an septentrionalis an meridionalis sit facile est videre. Nunc de ascensionibus.*

Ascensio recta. *Ascensio recta alicuius syderis quæ & gradus medij cœli dicitur, est gradus Æquatoris, qui cū tali sydere emergit supra horizontem in sphæra recta, siue qui cum eo peruenit ad meridianum circulum. Huius inuentio facilis admodum est nulliusq́ negotij, Nam permoto loco Solis quocunque vel syderis alterius ad circulum meridianum, confestim idem meridianus inter gradus Æquatoris ascensionē rectam vel gradum medij cœli indicabit.* Ascensio obliqua. *Ascensio verò obliqua, vt nomen ipsum sonat, est gradus Æquatoris qui cū sydere quocunque exoritur supra Finitorem in Sphæra obliqua vel supra horizontem obliquū. Atq; hæc non multo maiori negotio addiscitur q̄ illa: Constituo enim globum secundum eleuationem poli, & locum Solis vel stellæ ad Finitorem versus ortum, quicunque tum gradus*

Æquatoris simul exurgit pro ascẽsione obliqua habendus est. Descensio autem obliqua non in ortu sed in occasu inuestigatur. Hæ interdum multum inter se distant, sed descensio recta semper eadem est cum ascensione recta. Quãto iam tempore aliquod integrum signum vel quicunq; arcus zodiaci peroriatur aut penitus occidat, ita videndum est. Applicandum est prius principium eius signi ad finitorẽ, & simul index horarius ad.12. Postea finis eiusdem signi ad horizontem peruoluendus, & index indicabit quanto spatio temporis tale signum omnino exoriatur. Atq; hæc de ascensionibus obliquis. pro rectis cum meridiano quod iam de horizonte diximus agito. Exactius idem tempus colligetur si numerauerimus gradus Æquatoris per Meridianum notatos duobus illis punctis, principio inquam & fine, applicatis aut horizõti aut Meridiano. Vocantur enim tales partes Æquatoris etiam tẽpora. Quarũ quindecim horã continẽt: singulæ verò, quaterna scrupula seu minuta. Verum vt lector facilius capiat, vnico ferè exemplo totum caput declarabo. Statuo Caniculam, cuius longitudinem & latitudinem cupio ex globo discere. Remoueo ergo quartam altitudinis cum instrumẽto cui connectitur à meridiano, & applico ad polum zodiaci antarcti-

Descensio.

Signorum ortus.

Exemplum

cum, quia stella est meridionalis. Deinde voluo quartam altitudinis vsque in locum stellæ. Video ergo longitudinē ipsius in ecliptica. 19. gradus cancri cum dodrante ferè, latitudinem verò in quarta altitudinis. 16. graduum, & 10. minutorum. Promoueo eandem stellam ad meridianum circulum, & ibi numero inter ipsam et Æquatorem sex gradus declinationis septentrionalis, & simul video meridianum secare Æquatorem in centesimo & octauo gradu cum dextante ferè, hoc est. 50. minutis: atque hæc est ascensio recta ipsius stellæ. Si nunc eandem ad finitorem direxero versus ortum, eminet simul 101. quasi gradus Æquatoris cum besse ferè & hæc est ascensio obliqua ipsius in latitudine. 50. graduum. Si verò ad occasum finitori applicuero, video descensionem obliquam. 116. graduū. Similis via est de loco solis quocunque, vel gradu eclipticæ, vel sydere quouis alio. Item cupio scire in latitudine. 51. graduum quanto tempore Arietis signum oriatur. Composito ad latitudinem propositā globo, principium Arietis ad horizōtem in parte orientali colloco, simulq; ad Meridianū applicari video. 270. gradus æquatoris. Deinde finem Arietis eidē horizonti adiungo & rursum gradus sub Meridiano deprehendo. 283. & trientem. Cum igitur ab initio ad

finem

finem transierint.13.gradus cum triente intelligo signum Arietis oriri paulò minus horæ spacio, nempe.53.minutis horæ. Tantum enim efficiunt.13.cum triẽte per.4.multiplicata. Idem & index horarius indicat. Sciendum tamen est (quod ferè omiseram) nonnullos initium graduum ascensionum, siue æquinoctialis, statuere in principio Capricorni. Verum quocunq; modo numeres, idem erit modus agendi: nisi quod hic.90.semper gradus addas ad ascensionẽ inuentam: quod verò vltra.360.excesserit, penitus reiicias.

CAPVT OCTAVVM.

De quantitate diei, ortu, & occasu solis, & stellarum.

PRimum constituatur globus per meridianum circulum secũdum eleuationẽ poli regionis tuæ, de qua hæc addiscere intendis. Deinde pro ortu aut occasu cuiuscũq; syderis habendo, adiunge locum solis in ecliptica notatũ circulo meridiano, & simul indicem cycli horarij qui circũ polos mouetur, ad duodecimam horam: Post hæc volue globum cũ indice, donec sydus ipsum cuius ortum quæris, à parte orientis lineæ horizontis, aut superficiei supremæ horizontis exactißime respondeat. Aut si tempus ortus solis quæras, cum loco solis, eodẽ modo age.

Tum

Tum enim index cycli horarij indicat inter horas, quota hora idem ſydus oriatur. Si verò occaſum mauis, volue ipſum ſydus dum horizõtem cõtingat verſus occidens: Videbis ex eodem indice horam occaſus: atque hæc de ortu & occaſu vulgari dicta ſint. Aliter verò de ortu Poëtæ loquuntur, vt Vergilius.

Occaſus.

Multi ante occaſum Maiæ cœpere, ſed illos
Expectata ſeges vanis eluſit auenis.

Eodẽ modo & Philoſophi & Medici temporum diſtinctiones per ortus ſyderum aßignant, Vt ver per ortum Pleiadum, Autumnum per ortum Arcturi. Hunc ortum coſmicum vocat Io. de ſacro buſco. Si igitur libet enunciare, quo tempore anni aliquod ſydus oriatur coſmice, loca ipſum ſydus ad horizontis ſuperficiem in oriente, & ſimul cõſydera quotum gradum, cuiuſque ſigni gradum horizontis ſuperficies in ecliptica linea ſecet: Eundem verò gradum, eiuſdemq́ ſigni gradum quære in horizontis margine interiori, & facile videbis quo menſe ac quo to die ipſum ſydus oriatur coſmice. Pro occaſu autem habendo, volue idem ſydus verſus occidens ad horizontem: quicunq tum gradus zodiaci in oriente emergit, is eſt, quem dum ſol occupat, ſydus dicitur occidere coſmice. Item de ortu & occaſu acronycho ſeu nocturno, qui et Poëtis

Ortus Coſmicus.

Occaſus coſmicus

Ortus acronychus.

tis & Astronomis in vsu est, haud multo diuersa ratio est. Locandum enim sydus ad horizontem versus orientem, quicunq; tum gradus zodiaci occidit, is indicat tempus, quo sydus dicitur oriri acronycho ortu. Si verò ipsum admoueas horizonti versus occidentem, gradus signi feri qui tum oritur, indicio est quo tempore anni sydus dicatur occidere acronychè. Pro quantitate diei habenda, volue globum quoad gradus solis eius diei cuius quantitatem quæris, oriatur èx oriēte: & simul colloca indicem cycli horarij ad duodecimam horam mediæ diei: quo facto circumduc globum versus occidens dum idē gradus solis occidat, si iam horas supputaueris quas index cycli horarij à principio pertransierit, habebis quantitatem diei quæsitæ, Quam si à .24. horis subduxeris, relinquetur proculdubio quantitas noctis. Similis via est ad inueniendam moram alicuius syderis alterius supra nostrum hemisphærium, si scilicet ipsum orięti applicueris, & indicem ad duodecimam, deinde ad occidentē peruoluas, numeresq; horas ab indice transactas, talem moram nonnulli arcum diurnum vocant. Quomodo autē hæc eadem paulò exactius sed difficilius multò per ascensiones rectas perficiantur, impræsentiarum ob breuitatis studium missum facio.

Quantitas diei.

Quantitas noctis.

CA-

CAPVT NONVM.

De aurora & crepuſculo.

Aurora. *AVroram (quæ etiam nonnullis crepuſculum matutinũ) appellamus tempus ante ſolis exortum, quo ſol lucem ſuam in noſtrum hemiſphærium incipit diffundere. Crepuſculum verò quo poſt occaſum deſinit noſtrũ aërem illuſtrare. Tunc inquam eſt principium auroræ & finis crepuſculi veſpertini: Idque fit ſemper ſecũdum Ptolomæi obſeruationem cum ſol duo de viginti gradibus ſub horizõte noſtro mouetur. Igitur ſi huius cognoſcendi deſiderio tenearis, compone ante omnia globum ad eleuationem poli, deinde locũ ſolis eius diei quo tempus crepuſculi cupis inuenire, iunge meridiano circulo, & ſimul indicem horarium duodecimæ horæ. Poſt hæc volue gradum oppoſitum loco ſolis (Arabes Nadir vocant) verſus occaſum cum quarta altitudinis, ita vt ſub.18.gradu ipſius quartæ locetur, tum indice indicante videbis quota hora mane incipiat aurora. Si ſimili modo voluas eundem gradũ oppoſitum ad ortũ ſub.18.gradibus quartæ altitudinis, indicabit index horã, qua veſperi deſinet crepuſculũ. Globo ſic ſtante permoueas indicem rurſus ad duodecimam meridiei, deinde circumducas globum quouſq; gradus ſolis contingat horizontem in occaſu,*

casu, & oppositus in ortu, tum per indicem tempus aut moram crepusculi cognosces. Id quod exquisitius semper per Æquatoris gradus cognosces, si notaueris incidētes in Meridianum circulum cum solis locus in horizonte orientali collocatur, & rursum cum in altitudine.18.partium constiterit.

CAPVT DECIMVM.
De cognitione stellarum globo inscriptarum.

HIc primum aut vnam stellarū fixarum, aut horam cognitā habere oportet. Composito igitur globo secundum latitudinem regionis, & secundum mūdi plagas, si vna stella cognita sit, eius quære altitudinē per quadrantem, & simul aduerte in qua parte cœli cōstituta sit. Secundum hæc verò globum dispone, vt scilicet stella cognita eandem plagam mundi & æqualem altitudinē occupet in globo sub quarta altitudinum. Quibus ita manentibus elige in globo quamcunque stellarum ignotarum, ei applica primum quartā altitudinis, & numera eius altitudinē in eadem quarta, deinde cōsydera diligēter in qua sit mūdi parte, scilicet an in oriēte occidēte, meridie vel septētrione

Versus ergo talem plagam mundi oculos conii ciás, & Quadrante arrepto, vide quænam stella in ea parte mundi tantam habeat altitudinem, quantam ex globo percepisti: nam ea erit stella eadem quam in globo vidisti. Aut contraria lege, visa stella in cœlo potes eius nomen ex globo postea discere. Si verò nulla stellarum fixarum tibi cognita sit, oportet (diximus) horam prænoscere, qua cognita, admoue gradum solis meridiano, & indicem ad duodecimã horam: post hæc volue globum quoad index horarius ad horam cognitam peruenerit, globoq́ sic fixo, operare vt iam diximus.

CAPVT VNDECIMVM

Docet quota sit hora diei vel noctis.

Quoniam verò variæ nationes variè suas numerant horas, operæpretium fuerit distinctionem aliquam præmittere. Duplices igitur sunt horæ vsitatæ, Veteres enim diem artificialem in duodecim horas secabant, similiterq́ noctem. Cumq́ subinde dies inæquales sint noctibus, horæ quoque illis erãt inæquales, diurnæ nocturnis, & huius diei horæ ad alterius diei horas cõparatæ inæquales erãt. Sumebant autẽ initium ab ortu solis. Sic Persius loquutus est. Stertimus indomitum quoad despumare falernum sufficiat, quinta dum linea

nea

nea tangitur vmbra. Et in Euangelio Christus hora sexta crucifixus est, hoc est in Meridie. Tales igitur horæ & inæquales & Planetarũ vocantur, de quibus in sequenti capite. Alterum genus horarũ totum diem naturalem, hoc est integram solis reuolutionem à motu vniuersi factam in.24.partes æquales diuidit, atq; hæ nunc passim in vsu sunt. Neq; tamen istas omnes eodem modo numerant. Quidã enim ab ortu solis incipiunt, vt olim Babylonij, & nunc quidam in Germania. Alij ab occasu, quemadmodum Italiæ magna pars, & olim Athenienses. Nostrates ferè omnes à media nocte ad mediam noctem, sed hi bis duodecim numerant, cũ alij.24.numero distinguãt. Astronomi recẽtiores à meridie in meridiem, veteres à media nocte. Sed omnium ferè eadem ratio est inueniendi. Primum igitur si quota sit hora à meridie inuenire sit animus, iunge gradum solis (globo primum secundum inclinationem poli disposito) ad circulum meridianum. Si ab ortu libeat incipere, hoc est, si placeat scire quot sint horæ transactæ ab ortu solis, applica eundem gradum solis in linea ecliptica notum, horizonti ad partem orientalem. Si ab occasu, iunge eundem horizonti versus occidentem. Quocunq; autẽ modo agas semper indicem cycli horarij constitue

D ad

ad duodecimam horam meridiei. Deinde interdiu applica gnomonem sphæricum loco solis in signifero, & circumduc globum cum sede, aut globum absque sede quousque stylus gnomonis nullam diffundat vmbram: Tunc enim index inter horas cycli horarij tibi satisfaciet. Sed interim non omittendum, quod ea pars globi soli obiicienda est, quam idem tempore proposito occupat, scilicet orientalis vel occidetalis, quod facile ex vmbrarum dimensionibus colligitur: Nam si hæ minuuntur, nondum sol ad meridiem peruenit: Si contra, iam relicta meridie in occasum prolabitur. Nocturnæ horæ, aliter inueniuntur, obseruato tamen eodem quod diximus de indice dirigēdo ad horam duodecimam: Quo obseruato, accipiēda est noctu alicuius stellæ fixæ cognitæ, & quæ in globo descripta est, altitudo: vel per quadrantem, vel aliud instrumentum. Et simul diligenter animaduertendum an stella eadē citra vel vltra meridiem cōsistat. His compertis, circumducendus est globus (applicando semper quartam altitudinis loco stellæ) donec stella eadem in globo in simili parte orientali, vel occidentali constituta, tantam sub quarta altitudinis altitudinem occupet, quantam habere per quadrantē experti sumus, & rursus index horarius quæsitam horam

Nocturnæ horæ.

mani-

manifestabit. Hæc paulò exactius docere statuimus, eo quòd in longitudinis regionū inuentione opus sit perfecta horarum & minutorum cognitione: Primū igitur si horas à meridie cupio scire, voluo globum donec locus solis ad meridianum perueniat: & simul video quotus gradus Æquatoris in meridianum incidat: hunc numerum scribo (vocāt autē Astronomi ascensionem rectam), deinde ago cum gnomone sphærico pro horis diurnis, aut cū stellis fixis & quadrante, pro nocturnis eo pacto quo iam dixi, & rursus cōsydero quotus gradus Æquatoris à meridiano secetur, & hunc similiter scribo. Deinde subduc primum numerum, scilicet ascensionem rectam à secundo, si possibile sit, quod verò relinquitur, reducendum est ad horas, & horarum minuta, hac lege. Partire primum hūc numerum per.15.numerus qui producitur horas indicabit, si deinde post partitionem aliquot restent graduum, eorum singuli quaterna minuta horaria valent, dimidius verò gradus duo. Quod si nō possis primum à secundo subducere, quod fit vbi primus secundum excedit, adde secundo.360.gradus, & deinceps operare per subductionem & multiplicationem, vt docuimus. Si numerus horarum.12.excesserit, abiectis duodecim, relinquētur horæ à media nocte cōputatæ

Aliter per gradus Æquatoris.

Quòd si ab occasu solis libeat numerare horas: Colloca primum solis locum ad horizontem in parte occidentali, & nota numerum graduum Æquatoris quẽ Meridianus notat: deinde inuestiga horam siue cœli situm interdiu ex sole, noctè per stellam fixam vt diximus. Rursumq́ gradus sub Meridiano constitutos nota. Priorem ex posteriore subduc, mutuatis (si opus fuerit) 360. gradibus. Residuum ad horas & scrupula reducatur. Ita patebunt horæ ab occasu. Ab ortu similis ratio est.

CAPVT DVODECIMVM.

De horis inæqualibus.

Naturalis dies. *DIem Astronomi distinguunt in naturalem & artificialem, Naturalem vocant moram eam quæ est ab ortu solis ad exortum sequentem, vel est reuolutio Æquatoris vnà circum terram cum tãta portione zodiaci, quantam interim sol motu proprio pertransiit.* Artificialis dies. *Artificialis verò dies est, mora quæ intercipitur inter solis exortum & occasum sequẽtem. Hos dies inuicem inæquales esse, luce clarius cõstat. Inde fit vt horæ, quibus tales dies dimetiri consueuimus inæquales appellentur, vt præcedenti capite annotauimus. Reliquæ verò æquales vel æquinoctiales. Iam vt ad rem veniamus, si quantitatem diei artificialis, (quam supra docuimus*

tuimus inuenire) diuiſerimus in.12.partes, habebimus quantitatem vnius horæ inæqualis, Quandoquidem Aſtronomi omnem diem artificialem et ſimiliter noctem, diuidunt in.12.portiones: quarum cuilibet tribuunt dominiũ vnius de ſeptem planetis, ſequentem verò horam ſequenti adſignant planetæ. Hinc dierum nomina orta ſunt: Nã primæ horæ ab ortu ſolis die lunæ, tribuunt Lunam, ſequẽti Saturnum: & ita deinceps ad vigintiquatuor horas: poſt quas prima hora cedit Marti, qui nomẽ dedit ſequenti diei. Vt autem exactius hæ horæ diſtinguantur, reducatur quãtitas diei ad minuta, & productus numerus diuidatur per.12.numerus qui inde oritur erit quantitas vnius horæ inæqualis. Deinde ſi omnes horas æquales libeat reducere ad inæquales, Reducantur ſemper horæ æquales quæ tranſierunt ab ortu ſolis ad minuta, & totus numerus diuidatur per quantitatẽ vnius horæ inæqualis, videbimus facile quota ſit hora inæqualis, & quotus planetarũ ei præſit horæ: Noctu ſimiliter agendũ eſt diuiſa quãtitate noctis in.12.ſi deinde animaduertamus quota ſit horarum æqualium ab occaſu, reductumq́ numerum horarũ diuidamus per quantitatẽ horæ inæqualis noctis. Hæc cũ parui ſint momenti, leui quod aiunt brachio pertranſeo.

CAPVT XIII.

A qua parte oriatur, vel occidat sol, vel quælibet stellarum.

Solem non semper eodem oriri vel submergi loco, neminem puto nescire: Inde fit vt triplex oriens, & similiter occidens distinguatur apud Gellium & reliquos autores. Oriens Æquinoctiale, siue exortum Æquinoctialem, vocant locum in horizonte, à quo sol emergit cum in Æquatore, hoc est principio Arietis vel libræ cōsistit. Occasum Æquinoctialem, vbi occidit. Æstiuum vocant vbi sol horizontem contingit cum iam Cancrū ingrediens, solstitium æstiuum efficit. Hybernum verò cum in Capricorni principium inciderit. Quantum verò hæ plagæ orientis & occidentis ab Æquinoctiali oriente dissideant, incertum est generatim diffinire, cum in quauis regione varientur. Sed per globum nostrum hac arte discutiemus. Disposito prius globo secundum eleuationē poli, efficio vt locus solis eius diei quo distantiam ipsius à vero oriente vel occidēte scire cupio, cōtingat finitorem ab oriente: deinde video facile, à qua parte mūdi oriatur sol, aut quot etiam gradibus distet à vero oriente, vel versus Aquilonem, vel versus Austrum: numerando scilicet gradus finitoris qui sunt inter ipsum oriens verum

Oriens triplex, æquinoctiale, æstiuum, hybernum.

rum & locum solis. Ioannes Schoner talem distantiam ab oriente vel occidente vocat zenit ortus, vel occasus, quemadmodum nonnulli etiam alij. Vbicunque autem circulus Cancri finitorem cōtingit ab oriente, ibi est oriēs æstiuum: vbi verò in occidēte coierit, ibi est occidens æstiuum. Contra tropicus vel circulus Capricorni, distinguit oriens & occidens hybernum. Æquator autem verum oriens, quod semper in eodem est loco. De ortu autem stellarum, & occasu nō alia ratio est quàm de sole diximus: Sed plures stellæ in quibusdam regionibus nunquā oriuntur aut occidunt, quod facile erit deprehendere si voluamus globum quo stella incidat in meridianum circulum versus Aquilonē: si enim cernatur ibi supra horizontem nunquā ea occidet in tali regione, secundum cuius latitudinem eodem tempore globus compositus est. Stellarum ortus.

CAPVT XIIII.

De altitudine syderum.

ALtitudinem vocamus, non vt vulgares, quot scilicet stadijs sol à terra sit remotus, sed quot gradibus siue circuli partibus cētrum eius horizontem sub se relinquat. Aptato igitur globo pro latitudine qualibet, si solis vel syderis cuiusuis altitudinem desideras maximam, quum scilicet in meridianum incidit,

Admoue tale sydus in sphærico corpore designatum, ad circulum meridianum: pro sole verò locũ solis adhibe. Deinde applica eidẽ quartam altitudinis, in qua videbis altitudinẽ quæsitam, vbi scilicet locus solis aut alterius syderis eam contingat. Quocunq; verò tempore si libet altitudinem habere, Siste primo gradum solis in zodiaco notatum, ad circulum meridianum: & simul indicem cycli horarij ad.12.meridiei horam. Post hoc circumduc globum, quoad index ad horam peruenerit qua altitudinem ipsius syderis petis: globoq; paululum fixo, adiunge loco solis aut syderis cuiusuis quartam altitudinis, & voti compos eris. Vt sole existente in.15.gradu Arietis, si eius altitudinem maximam siue meridianam placet habere, collocetur decimusquintus gradus Arietis ad circulum meridianum, & coniungatur ei quarta altitudinis, videbitur altitudo.44.graduum, &.56.minutorum in latitudine.51.graduum. Rursus globo permanente in tali situ, locetur index horarius super duodecima hora meridiei, hinc circumagatur globus, quousq; index horam quartam pomeridianam contingat, si tunc altitudo solis petatur, applicando quartam altitudinis loco solis, videbitur.23.graduum &.15.minutorum. De reliquis syderibus & horis idem esto iudicium.

Exemplum

tium. Hoc modo tabulæ seu canones cõscribun tur pro structura Chilindrorum, Quadratum, Annulorum particularium, atque aliorum hu iusmodi sciotericorum instrumentorum. Quæruntur enim altitudines solis pro singulis horis dimidij diei sole existente in Cancro, Ariete, et Capricorno. Nonnunquam quoq; pro singulis signis à Cancro vsq; ad Capricornum.

CAPVT XV.

Docet in qua parte cœli sydus aliquot situm sit, & quot gradibus à meridiano absit.

HVius inuentio parum à superiori differt, nam constitutis omnibus vt ibi docuimus de altitudine inuenienda ad singulas horas, ipsius quartæ altitudinis extremũ iuxta horizõtem indicabit in qua parte cœli sydus ipsum cõsistat. Ex cuius rei cognitione Meridiei, reliquarumq; mundi partium inuentio patet. Circulo enim quouis in plano in.360.gradus diuiso, duobusq; diametris ad rectos angulos dissecto, gnômon siue stylus ex centro erigatur. Vertaturq; tabella plana donec vmbra styli tot gradibus ab aliquo diametro distet, quot sol à Meridie distare in horizonte deprehensus est: mox diameter ille lineam Meridianã designabit. Quantum verò absit à meridiano cœli reuo

lutione, ita inuestigabis, seruatis omnibus quæ diximus. Notetur gradus Æquatoris qui sub meridiano est, deinde voluatur globus donec sydus de quo agitur sub meridiano collocetur. Si iam numerentur gradus qui inter meridianum & punctum notatum intercipiuntur, habebitur distantia ipsius à meridiano, quorum graduum 15. vnam horam conficiũt, reliqui quaterna minuta: atq; in tanto tempore ipsum sydus meridianum perueniet, aut si vltra meridianum fuerit, tot horis prætergressum est.

CAPVT XVI.

In qua parte sydus quoduis situm sit, & quantum à vertice distet, & alia quædam generalia.

Locato loco solis sub meridiano & indice horario ad duodecimam: si deinde circumagas globum, vt index horarius horã propositam contingat, locoq; solis aut cuiusuis syderis quartam altitudinis applicueris, videbis in horizonte versus quã partem cœli tale sydus cõsistat indicante quarta altitudinis qua horizontem contingit. Si verò ipsum sydus meridiano adiunxeris, videbis quot gradibus à vertice distet, cum ipsum erit in maxima altitudine: numerãdo inquam gradus meridiani qui sunt inter punctum verticis & syderis locum. Rursus

de ſyderibus quæ occidũt, ſi talia meridiano applicueris verſus ſeptentrionẽ, deinde globum cũ meridiano circũagas, donec tale ſydus horizontem contingat, videbis lucide eleuationẽ poli regionis eius in qua quidẽ tale ſydus in horizonte conſpicitur, ſed tamẽ non ſubmergitur. Item de ſyderibus quæ nobis non veniunt in conſpectũ, vt ſunt Canopus, Centaurus, &c. ſi ea meridiano coniunxeris verſus meridiem, deinde deprimas per meridianũ polum arcticũ verſus horizontẽ quoad talia ſydera ſupra horizontẽ appareant, videbis inter horizontẽ & polum gradus latitudinis eius regionis, in qua talia ſydera cõſpici poſſunt. Quæ latitudo cuius ſit regionis facilimi eſt iudicij. Nam ſi tot gradus ab Æquatore verſus polum in meridiano ſupputaueris, & loco latitudinis talis ſtylus admoueris, ſtyloq́ ibi manu retento ſi globum circumagas, quaſcunq́ regiones ſtylus ille tranſierit, illæ ſunt in quibus talia ſydera interdum videri poſſunt ſupra horizontem.

CAPVT XVII.

Qua arte locus lunæ viſæ, vel cuiuſcunq́ ſtellæ ignotæ ſitus deprehendatur.

ANimaduerte an ſydus viſum (ſit in exemplum luna) orientale ſit an occidentale: hoc eſt, an citra vel vltra meridia-

nam

nam lineam consistat: idq́ facile cognosces locato globo secundum cœli partes, per capitis tertij legem. Deinde altitudinem eiusdem supra horizontem addisce, artificio quadrantis, vel cuiuscunque alterius instrumenti astronomici. Præterea eiusdem lunæ distantiã ab aliquo alio syderum octauæ sphæræ, quod quidem in globo fixum est, tibiq́ cognitum, huiusq́, syderis altitudinem supra horizontem. Distantiam autem syderũ inuestigabis per baculum seu Radiũ astronomicum, cuius formationem Io. Vernerus in paraphrasi super. 1. li. Pto. & post eum Petrus Apianus docet, Demum et nos peculiarem de hoc instrumento tractatum conscripsimus. Aut si talis fortè tibi negetur, quoquo modo per circulum diuisum in. 360. partes cum indice volubili rem expedies: Si scilicet hunc circulum ita figas alibi, vt superficies ipsius (aspectu diiudicante) per vtriusque syderis locum transire intelligatur. Visa etenim per pinnacidia indicis primo luna, locoq́ in circulo notato, si deinde indicem ad alterũ dirigas sydus circulo fixo permanente, in gradibus circuli apparebit distantia inter eadem sydera. His habitis, & globo secundum eleuationem poli composito, stella fixa sub sua altitudine inuenta, & in latere simili quale in cœlo obtinet cõstituatur, per quartam

Distantia syderum

alti-

altitudinis: mouendo scilicet globum cum quarta altitudinis, donec stella fixa suæ subiiciatur altitudini inuentæ. Deinde globo fixo permanente, quartam altitudinis ad latus globi quod luna occupat, applica, & altitudinem eiusdem lunæ prius inuentam in eadem signo quouis nota. Post hac circinum secundũ gradus Æquatoris dispesce, ad quantitatem distantiæ syderũ inuẽtæ, & pedem alterum circini super loco syderis noti in globi superficie loca: alterum verò versus quartã altitudinis dirige, ipsamq́ quartam remoue, vel adduc, donec notam altitudinis lunæ cum libero pede circini coniungere possis. Tum nota altitudinis locum lunæ in globo ostendet. Quod de luna diximus, de quouis sydere ignoto dictum volumus. Aliter absq; altitudine syderum. Quære distantias lunæ à duobus quibuscunq; notis syderibus, idque adhibito (vt diximus) Radio astronomico. Deinde ex singulis eorum tanquam centris secundum lunæ ab ipsis distantias describe in superficie globi circulum deletilem. Duo hi circuli sese mutuo secabunt duobus in locis. Quorum vter pro vero loco habendus sit, aspectus ipse facile indicauerit. Hac arte omnia sydera quæ inferiori hemisphærio infiguntur, Ptolomæo, aliisq; incognita, per nostri seculi nautas in globũ depingi facile possent.

Alius modus.

ſent. Et per eandē Planetarum loca inueniun-tur, tam ſecundum latitudinem, quàm longitudinem.

CAPVT XVIII.

De longitudine regionum inuenienda.

INuento iam per obſeruationem loco lunæ vt diximus, ſimul conſyderanda eſt diligentiſsime per globum hora illa, qua luna locum talem occupat. Deinde ex Ephemeridibus rite calculatis, aut ex tabulis Alfonſi aut alterius cuiuſpiā docti Mathematici exquiſitiſsimo calculo colligenda eſt hora qua luna talem locum per obſeruationem deprehenſum attingere deberet, idque pro loco aliquo certo & cognito & cuius longitudo nota ſtatuatur. Oportet autem horas ab vnius diei meridie numerare more aſtronomico progrediendo vſque ad. 24. horas. Deinde minor numerus horarum auferatur à maiori. Aut præcedentes horæ à ſequentibus. Quod verò relinquitur ex horis & minutis ad gradus reducendum eſt, hac lege. Multiplica horas per. 15. minuta verò horaria partire per. 4. prouenient gradus Æquatoris inter duos meridianos intercepti. Minuta ſi quæ poſt partitionem ſuperſint, per. 15. multiplica, prouenięt minuta graduum. Hanc verò differentiam longitudinis

tudinis

tudinis inuentam, adde ad lõgitudinẽ regionis cognitã, si eius loci horæ fuerint plures: aut deme ex eadem longitudine si minores fuerint, colliges tandem longitudinẽ loci ignoti, ab insulis fortunatis. Facilius quidem & promptius idem per globum inuestigatur geometrice, hac arte. Locum cuius nota est lõgitudo in globo inuentum sub meridiano collocato, indicem qui circũ polum mouetur ad horam qua luna locũ præfinitum in tali regione occupat dirigito, deinde globum conuertito donec index horarius ad horam peruenerit, qua quidẽ tu locum lunæ ignotum quæsieras: gradus Æquatoris à meridiano mobili intercisi lõgitudinẽ regionis quæsitã aperient. Certissima tamẽ via qua lõgitudinũ differentiæ inueniũtur ea est, quæ per idem aliquod quod in oĩbus regionibus eodẽ momento appa-ret, vtpote per eclipses lunæ procedit. Cognitis enim diuersis horis quibus hæc in diuersis regionibus cõtingit, non alia ratione longitudo aut arithmetice aut geometrice, quàm per præcedentem proxime canonem inuenitur. Verum quum hæc neque semper neque omnibus appareat, deinde præcedens modus sic satis difficilis sit, neq; idem semper promptus propter lunæ coniunctiones, atq; adeo interdũ nõnihil à rei veritate deficiat, propter diuersitatem aspectus, & lati-

Aliter per globum.

Certissima ratio per Eclipses.

latitudinẽ lunæ: fit vt longitudines multarum regionum præcipue earum quas nuper Hispani adiuere, incertas aut penitus nullas habeamus. Neque enim ex itinerum dimensionibus flexuosis certi quicquam colligi potest, cõfirmãte id Ptolomæo libro primo Cosmographiæ. Subnectam igitur aliquid domi nostræ natum, quo facili via & quouis tẽpore longitudines regionum inter proficiscendum inueniuntur.

CAPVT XIX.

De nouo modo inueniendi longitudinem.

NOstro sæculo horologia quædam parua adfabre cõstructa videmus prodire, quæ ob quantitatem exiguam proficiscenti minime oneri sunt: hæc motu continuo ad.24. horas sæpe perdurãt, imò si iuues, perpetuo quasi motu mouebuntur. Horum igitur adiumento hac ratione longitudo inuenitur. Primo curandum vt priusquam itineri intendamus, exactissime horas eius loci obseruet à quo proficiscimur. Deinde vt inter proficiscendum nunquàm cesset. Completo itaque itinere.15.aut viginti miliarium, si quantum longitudine distemus à loco discessus libeat addiscere, Expectandum donec index horologij punctũ alicuius horæ ẽxactissime pertingat, eodemq́ momento per

astro-

astrolabium, aut globum nostrum inquirenda est hora eius loci in quo iam sumus: quæ si ad minutum cõuenerit cum horis quas horoscopiũ indicat, certum est nos sub eodem adhuc esse me ridiano, aut sub eadem longitudine, iterque no strum versus meridiem vel Aquilonem confecisse. Si verò differat vna hora, aut aliquot minutis, tum hæc reducẽda sunt ad gradus, vel gra duum minuta, vt in præcedẽti capite docuimus, & sic longitudo elicienda. Hac arte possem lon gitudinem regionum inuenire, etiam si per mil le miliaria inscius essem abductus, ignota etiã itineris distantia: sed tũ prius latitudo (vt sem per) est addiscenda. Quam absque horæ cogni tione variis modis cognosci posse iam antea docuimus. Tum verò horologium exquisitissimũ sit oportet, quod auræ mutatione non variet. Quamobrem vtile fuerit in longis profectionibus, potissimum verò nauigationibus, adhibere magnas clepsydras seu horologia aquaria, aut arenaria, quæ integrum diem dimetiantur exacte: per quæ aliorum horologiorum errata cor rigantur.

E CAPVT

CAPVT XX.

De locorum diſtantiis.

LOcorum intercapedines nullo ferè negocio ex globo deprehendimus. Extenſum nanque circinum ab vno locorum in alterum, applicamus deinde Æquatori, et quot gradus comprehenderit notamus. Hos gradus in 15. miliaria germanica vel. 60. Italica ducimus, & producitur numerus miliarium inter duo loca contentorum. Iam vnum miliare Italicum cõſtat mille paßibus vel octo ſtadiis. Stadiũ. 125. paßibus. Paſſus. 5. pedibus. Pes. 4. palmis. palmus totidem digitis. Demum digiti latitudo quatuor granis hordeaceis in latus diſpoſitis æquatur. Ex his facile fuerit miliaria in paſſus, vel in quodlibet genus menſuræ reducere. Quod ſi oppidorum diſtantiæ dimetiendæ veniant eorum, quorum globus ob anguſtiam loci capax minime eſt, conſule tabellam ciuitatum huic noſtro libello inſertam, aut tabulas Ptolomæi. Ex his longitudines, & latitudines locorum addiſce, quorum diſtantias dimetiri animus eſt, & ſecundum eas in globo loca puncto delebili deſcribe, hoc ſcilicet pacto. Longitudinẽ ipſius loci in æquatore nota: deinde circumduc globum, vt talis longitudo ipſi meridiano ſubiiciatur. Latitudinem verò in eodem meridiano

inue-

inuenies, sub qua in globi superficie punctũ describes, quod eius loci situm ostendet. Eadem etiam ratione cuiuscunq; alterius loci situm in globo deprehendes, & deinde distantiam dimetieris vt iam docuimus. Atq; hæc de distantiis rectis intelligenda sunt. Alioqui distantiæ tales per partes metiendæ essent, quod cum cuiuis facile sit, omittimus.

CAPVT XXI.

In quam mundi partem vergat quæuis regio.

Consueuerunt Hydrographi & rerũ nauticarum periti terræ sitũ in plana superficie deformare, multis ductis lineis ex aliis atq; aliis tanquã centris egredientibus. Quarum vsus est monstrare in quam partẽ dirigenda nauis sit, à quocunq; loco in alium quemlibet tendentibus. Quæ res sanè summam habet admirationem in vsu quotidiano, postquam magnetis stupẽda facultas (priscis illis incognita) innotuit. Indicant autem lineæ illæ nõ quidem verum situm locorũ ab inuicem, sed in quã partem dirigẽda sit nauis, quoue vẽto duce sit opus ab hoc loco in illũ tendentibus. Aliud enim longe est locum aliquẽ ab altero in Orientem spectare, & ab aliquo loco in alterum nauiganti semper in ortum dirigendam esse nauim. Tabulæ marinæ. Situs locorum.

Nauigatio enim in ortũ ſub eodẽ fit parallelo. At loca quælibet extra Æquatorẽ, verũ Orientis ductũ ad aliquẽ locũ ſub Æquatore faciunt. Eodem modo de aliis mũdi partibus intelligenda res eſt: demptis tamen cardinibus duobus, ſeptentrione inquam & Auſtro. In quam igitur partem dirigenda ſit nauis quoquouerſum nauigantibus, facile paruo quadrato noſtro Nautico addiſcitur, cognitis longitudinibus & latitudinibus duorum locorum. Cuius quidem quadrati compoſitio tam prompta eſt, vt neminem latere poßit. Vſum verò docuimus in Coſmographico libro Petri Apiani, & obiter in noſtra Generali orbis deſcriptione. Quamobrẽ paucis datis præceptis generalibus, hic de ea re exactius nõ videtur agendum. Illud igitur tanquam axioma ſtatuendum in primis: Loca quæ ſub eodem Meridiano collocantur, ſiue quibus eadem eſt longitudo, ea in Septentrionẽ & Auſtrum ab inuicem ſita ſunt. Quamobrem & nauigantibus ab altero in alterum perpetuo nauis vertenda eſt vel in Boream vel in Auſtrum. Secundo loca quorũ eadem eſt latitudo ſiue quæ ſub eodem parallelo ſunt, dum ab altero ad alterum nauigatur, ſemper nauem in ortum vel occaſum aſpicientem habẽt. Iam igitur à quocunque loco quatuor præcipuæ partes notæ erunt

Quadratũ Nauticum Auctoris.

Axioma primum.

Secundum

quor-

quorsum vergant. In aliis consyderandæ sunt longitudinum latitudinumq́ duorum locorum differentiæ. Quod si longitudinis differẽtia par fuerit alteri differentiæ latitudinis, erit plaga nauigationis aliqua ex quatuor mediis inter quatuor cardines. Quam quiuis facile colliget, cognitis vt diximus cardinibus quatuor præcipuis. Si verò differentia longitudinis fuerit maior differentia latitudinis, erit nauigationis ductus tanto propior ad ortum vel occasum, quanto ferè inæqualitas differentiarũ maior fuerit. Contra si latitudinis differentia excesserit longitudinum differentiam, accedet nauigatio ad septentrionem & Austrum. Et quoniam hodie nautæ trigintaduas numerãt plagas. Quatuor cardines iam docuimus dignoscere, & quatuor medio loco descriptas plagas. Reliquas hoc modo. Si differentia longitudinis ad differentiam latitudinis rationem habuerit quintuplam, erit plaga nauigationis prima ab ortu vel occasu. Si verò rationẽ habuerit qualem .5. ad. 2. erit secunda plaga, si sesquialteram, tertia: si æquales fuerint, quarta. Simili modo si differentia latitudinis fuerit quintupla differentiæ longitudinis, erit plaga nauigationis prima à Septentrione vel Meridie, Si dupla sesquialtera, secunda: si sesquialtera, tertia: si rursum æquales fuerint

Tertius

Quartum

Quintum

Plagæ nauigationum

quarta. Idq; hinc inde à quatuor cardinibus nu merãdo, habebimus. 32. plagas. A quo vero car dine & in quam partem numeranda sit plaga,

Situs regionum. *situs ipse locorum in globo indicat. At alia est ratio de vero situ regionum ab inuicem facilis quidem in globo, in tabulis autẽ planis vix pos sibilis. In globo igitur locus quem ad alia cõpa rare volumus ad Meridianum adducitur. Deinde quanta est regionis latitudo, tantum eleua tur axis supra horizontẽ, Meridianum circum ducendo. Quadrans altitudinis deinde ad verti cem aptatur. Hic igitur circũductus globo persistente ad quemlibet locorum, ostendit in horizonte plagam mundi in quam quiuis spectet lo*

Exemplum *cus. Exempli gratia libet cognoscere in quã cœli partẽ spectet Hispaniola insula ab Vlyssipona. Statuo igitur Vlyssiponã sub Meridiano, & eleuo polum ad. 39. grad. 38. minuta. Deinde applicatam quartam altitudinis vertici, circumduco eam ad Hispaniolam insulam: mox in Horizonte video pedem quartæ altitudinis paulùm declinare ab Occasu versus Austrum, nempe tribus tantum gradibus: qui efficiunt tri gesimam totius quadrantis partem. At si cognoscere libet in quam partem dirigenda sit nauis ab Vlyssipona ad Hispaniolam nauigantibus: Subtraho longitudinem Hispaniolæ occidenta-*

dentaliorem scilicet, à longitudine Vlyßiponæ, hoc est.306.ex.5. Quod quia fieri nequit, mutuato toto circulo, demo.306.ex.365. relinquuntur.59.gradus, differentia longitudinis. Latitudo verò Hispaniolæ est.18.fermè graduum. Vlyßiponæ.39.gra.38.min. quibus ab inuicem sublatis, restat differentia latitudinum.21.gradus.38.mi. Hæc igitur differentia quoniã maior est quàm quinta pars illius differentiæ longitudinum, minor tamen quàm duæ quintæ, colligo nauigandum esse inter primam & secundã plagam ab occasu versus Austrum, propius tamen ad secundam. Loquimur autem hic de plagis vulgarium nautarum qui.32. distinguũt in totum. Hinc facile liquet non esse idem in quã partem regio aliqua vergat, & in quam dirigenda nauis illuc nauigantibus. Hic quoq; demonstrare licet nauigationes magna ex parte esse curuas quia non fiunt per maximum circulum in superficie sphæræ, Sed alium locũ requirit ista consyderatio.

CAPVT XXII.

De maris augmento, & decremento.

FIdem excedit, lunæ vim tantam inditam esse, vt quæ tanto remota interstitio, Oceanum tamen omnem penè secum ducere videatur. Id enim pro cõperto habemus in nostris

regionibus maritimis luna exoriente mare intumescere, & versus interiora regionum & cõtinentis vndabundum irruere, donec eadem meridianam lineã occupet. A qua dum versus occasum delabitur, oceanũ rursus pedetentim regredi & cõsidere, vsque dum luna nostrum conspectum egressa, antipodibus oriatur. Nam tũc denuo mare æstuat, ac si aluum suũ egressurum foret. Cum rursus luna ad mediæ noctis lineam peruenerit, indeq́ ad nostrũ hemisphærium ascẽdit, oceanus compositis fluctibus sese in locum suum recipit: fitq́ hoc pacto vt. 25. horarum spacio ferè plus minus bis oceani accessum & recessum videamus. Si ergo tempus augmenti maris & similiter decrementi ex globo colligere placeat: in primis locũ. solis & lunæ in promptu habeas, aut ex tabulis, aut quocunq́ ingenio. Quibus datis volue gradum solis in linea ecliptica inuentum, ad meridianũ, itaque paululum permanẽte, siste indicem horarium super linea duodecimæ horæ: Post hæc circumduc globum, vt locus lunæ (secundum longitudinem & latitudinem in globo designatus) in ẽxortu supra horizontem emineat. Interim index inter horas indicabit qua mare intumescet. Si deinde cum loco lunæ ad meridianum pergas, videbis per eundem indicem tempus recessus. Rursus si locum

cum

cum lunæ ad occaſum perducas, tempus acceſſus patefiet. Denique ſi oppoſitum gradum ad meridianum colloces, decrementi certior eris. Id tamen notandum puto, ex motu lunæ veloci (niſi aliquid addas ipſi) magnam ſæpe diuerſitatem accidere. Igitur pro ſingulis binis horis quas index inter mouendum percurrit loco lunæ vnum gradum adiicias, ſicq́ nullus error euidens committetur. In vaſto tamen pelago non eandem omnino rationem motus obſeruari audiuimus. Nam ſæpe ventorum impetu verſus quamcunque partem mundi mare rapitur: Sæpe etiam natura loci eadē perpetuo labitur via. Nonnunquam contrariis fluctibus ex diuerſis partibus confluit & confligatur. Demum etiā hi qui interiora regionum colunt, vt ſi Mechlinienſes ad Antuerpianos conferamus, poſterius acceſſum & receſſum percipiunt quā maritimi, ſed talis ſcilicet differentia vbi ſemel animaduerſa fuerit facile perpetuo obſeruatur.

CAPVT XXIII.

De Horoſcopo reliquiſque cœli domiciliis.

VEteres ferè omnes Mathematici zodiacum in duodecim partes ſeu domos diuiſerunt, facto initio à ſigno exoriente. Et quanquam in numero domorum & initio

consentiant omnes, in reliquis tamen domibus plurimum dissident. Prisci enim illi quales Ptolomæus et Firmicus, in æquas partes secuisse zodiacum videtur, dum tertiam domum, quintã, nonam, atque vndecimam cum horoscopo familiari ac benefico aspectu coniunctas statuũt. Cognito ergo Horoscopo, hoc est signo ascendente, reliquæ domus deinceps æquali partitione numerantur. Sed hoc modo difficile dictu fuerit in qua domo collocandæ sint stellæ fixæ quæ longius à zodiaco digrediuntur. Alij nõ contemnendi viri totam cœli superficiem in. 12. partes secant, idque per sex circulos magnos concurrentes in duabus sectionibus horizontis & Meridiani. Horum circulorum duo sunt horizon & Meridianus, ille initium primæ & septimæ domorũ declarat, hic verò decimæ & quartæ. Reliquas deinde domos rursum non eodem modo numerãt auctores. Ioãnes Regiomõtanus Æquatorem diuidit in. 12. partes æquales, perq́ sectiones illas & duas intersectiones horizontis & Meridiani sex circulos ducens, zodiacum, totumq́ cœlum in. 12. partes seu domos diuidit. Campanus non Æquatorem, sed circulum verticalem per orientem, occidentem, punctum verticis, punctumq́ pedum, incedẽtem, in. 12. partes æquales secat, concurrentibus vt prius circulis

Priscorum modus.

Alij modi.

Ioannes de Regio mõte.

Campanus

cum horizōte et Meridiano. Sed nos in re tā difficili sententiā nō dicimus, dabitur fortaßis cōmodior de his differēdi locus. In præsentiarū oībus illis nostro globo satis fiet. In primis itaq; statuē dus globus ad poli altitudinē vt sæpius dictū est. Deinde locus solis ad Meridianū applicetur simulq; index horarius ad. 12. horā meridiei. Post hæc circūduc globū quousq; index horarius ad horā aßignatā puenerit. Globoq; sic firmato mox videbis in horizonte oriētali signū ascēdēs quod horoscopū vocāt, initiū scilicet primæ domus. In horizōte verò occiduo initiū septimæ domus. Si ergo priscorū more domos per æqualia spacia diuidere placet, ordine signorū seruato eosdē multitudine gradus statue initia reliquarū domorū quos in Horoscopo deprehēdisti. Vt si decimus gradus Tauri Horoscopum poßederit, decimus Geminorū secūdæ domus initiū statuetur, & decimus Cācri initiū tertiæ atq; ita deinceps. Si verò Ioānis de monte regio ratio arridet, notabis gradus Æquatoris in horizonte orientali collocatos, illis adde. 30. gradus, & vbi numerus finitur, eo circulum positionis vocatum traduc firmato semper globo. Idem ergo circulus in zodiaco notabit initium duodecimæ domus. Rursum alios. 30. gradus prædictæ summæ adiice, et circulo positionis in Æquatore applicato, in zodiaco videbis initium vndecimæ domus.

Horoscopi inuentio.

Modus Ioannis de Regio monte

Decimæ domus initium Meridianus in zodiaci sectione declarat. Gradibus autem Æquatoris sub Meridiano collocatis alios.30.adde, & tra ducto circulo positionis in occiduam partem illis Æquatoris gradibus semicirculum positionis adiunge, ostendet idem in zodiaco initium nonæ domus. Additis eodem modo aliis.30.gradibus initium octauæ domus colligetur. Septimã domum horizon monstrat in occidua parte. Reliquæ domus per diametros iam dictarũ domorum colligantur. Secũda enim octauæ, Tertia nonæ, Quarta decimæ, Quinta vndecimæ, & demum Sexta duodecimæ opponitur. Quare æquales numero gradus oppositorum signorum accipiens habebis oppositas domus. Pro Campani modo quartam altitudinis vertici annexam diriges ad verum orientem, siue ad contactũ horizontis & Æquatoris in ortu. Applicato deinde semicirculo positionis ad.30.gradus in eadem quarta, videbis in ecliptica initium duodecimæ domus. Similiter semicirculus positionis transiens per.60.gradus altitudinis, in Ecliptica initium vndecimæ domus notabit. Initium decimæ meridianus signat. Nonam cognosces quarta altitudinis ad occasum verum deuoluta, & semicirculo positionis per.60.gradus quadrantis transeunte. Octaua demum habebitur

Campani modus.

ducto

ducto semicirculo positionis per.30.gradus altitudinis. Septima & prima eodem modo hic atque in aliis omnibus colligitur, & reliquæ per oppositionem. Scribit & alium modũ Io. Schonerus, quẽ propterea ex proposito dimisimus quòd parum nobis videatur habere firmitatis, & ab opinione doctiorũ abhorrere. Quòd si nõ satis quisquam indici horario fidat, velitq́ exactius horæ partes dinumerare: locato solis loco sub Meridiano, videat ascensionẽ rectam ipsius, siue gradus Æquatoris sub eodẽ Meridiano cõstitutos. His igitur pro singulis horis à meridie trãsactis addat.15.gradus, & pro quaternis singulis minutis singulos gradus, & numerũ graduum Æquatoris sub Meridiano statuat, habebit horoscopũ reliquasq́ domos eodem quo dictum est modo, totamq́ sphæram ad exemplum sphæræ cœlestis constitutam. Exactior ratio.

CAPVT XXIIII.

De directionibus.

H*Æc quum non sint vulgaria, sed iis tantum necessaria qui Astronomorum vulgus multis post se parasangis reliquerũt, quibusq́ iam ad talia intellectus instructus est, paucis perstringam. In primis pro gradu reuolutionis cuiuscunque principij inueniẽdo sic agas. Gradũ ascendentem talis principij ad horizontem* Gradus reuolutionis

rizontem in ortu loca, & nota gradus Æquatoris qui Meridiano subiacet: quibus pro singulis annis elapsis adiice gradus. 87. mi. 19. Pro quaternis. 349. gra. 16. mi. Pro quinis singulis. 76. gra. 35. mi. Pro denis. 153. gra. 10. mi. Pro vicenis. 306. gra. 20. mi. Pro centenis denique. 91. gra. 33. mi. Numerus autem hinc collectus si. 360. excesserit gradus, subductis. 360. gradibus quoties licuerit, relictus in Æquatore inuentus sub Meridiano collocetur: & quicunque gradus zodiaci ad horizontem exurgit, is est gradus reuolutionis pro tempore quæsito, & eleuatione poli cõstituta. Hora reuolutionis. *Eosdem gradus Æquatoris sub Meridiano postremo constitutos, si ab ascensione recta solis demas, residuumque ad horas ac scrupula reducas, quemadmodum capite vndecimo docuimus, cognosces horam reuolutionis: ad quam deinceps planetarum loca colligenda ex suis tabulis.* Directio. *Pro directione seu progreßione significatoris ad locum præfinitum sic procedas. Constituto horoscopo ad horizontem, applica semicirculum positionis significatori siue loco ad quem dirigere placet, ac effice vt aut cera, aut alio adminiculo semicirculus sic firmetur, vt globo circũducto ille non dimoueatur à suo loco. Verũ si significator in horizõte aut Meridiano cõstitutus fuerit, iã semicirculo nõ habes opus. His cõstitutis nota gradũ Æquatoris meridiano appli*

tante: maneteq; (vt diximus) semicirculo, circũ ducatur globus donec locus promissoris, siue secundus eidẽ semicirculo positionis applicetur, et diligẽter nũc quoq; gradus æquatoris sub Meridiano cõstituti notetur. Differẽtia igitur priorũ et posteriorũ graduũ Æquatoris directionis mẽsurã ostendũt. Cuius quidẽ singuli gradus singulos annos Ptol. auctore denotat. Illud interim vel me tacẽte quiuis facile collegerit, pro directione (vt vocant) directa globũ voluendũ esse versus occasum: pro illa verò quæ fit in antecedẽtia, siue quæ cõuersa dicitur, in ortũ. Vtrouis autẽ modo incesseris, gradus Æquatoris Meridianũ trãseuntes directionis tẽpora vocãtur. Iã verò si libet inuenire ad quẽ gradũ zodiaci quouis anno directio significatoris ptingat: cõposito globo vt iã diximus & semicirculo positionis ad sitũ significatoris firmato: gradib. Æquatoris sub Meridiano collocatis, tot adde gradus quot annos ab initio elapsos statueris, idq; pro directa progreßione, aut adime totidẽ pro cõuersa: deinde numerum illum graduum sic productum colloca ad meridiani contactum: mox semicirculus positionis in zodiaco gradũ notabit ad quem directio perducetur in annis propositis.

Quo directio peruenerit.

At quia difficile est semicirculum positionis ad quemuis situm firmare: dabo alium modum quo exquisitius hæc res confici poßit.

Alius modus.

Atque etiam si quis velit ex tabulis ascensionum obliquarum directiones perficere, habebit hic compendium inueniendi eleuatione poli supra circulum positionis cuiuscunq; puncti. Qua cognita, faciles sunt directiones ex tabulis. Primum igitur composito globo ad regionis latitudinem, & horoscopo ad finitoris contactum: semicirculum positionis applica significatori, siue loco ad quem placet dirigere, diligenterq; nota gradus Æquatoris quos idem semicirculus secat. Deinde significatorem volue ad horizõtem in ortu si ante Meridianum in orientali medietate cõsistebat, in occasu, si in pomeridiana medietate. Manente verò in finitoris contactu significatore, meridianum circulum circumduc quousque gradus illi Æquatoris quos circulus positionis notauerat simul cum ipso significatore finitori adiungantur. Quo facto videbis in Meridiano eleuatione poli supra circulum positionis: nempe quot sunt gradus Meridiani à polo ad Horizontem. Ac iam horizon erit circulus positionis: perficiesq; directiones ad horizontem, vt antea diximus, ducẽdo secundum locum ad horizontem, notandoq; gradus Æquatoris siue qui Meridianum, siue qui horizontẽ pertranseunt, vnde absque vlla difficultate directiones habebis exquisitas. Si verò significator

Eleuatio poli supra circulũ positionis.

ſub horizonte conſtitutus in themate deprehendatur, fiet ſimilis prorſus operatio per oppoſitũ cœli punctum. Atqui in oppoſitione latitudo quoque puncti dati attendenda eſt, nam puncta per diametrum oppoſita, in contrariam ſiue oppoſitam latitudinem declinant. Demum ſi locus ſignificatoris prope Æquinoctialem conſtiterit vel in eodẽ, notabitur in ſphæra alius quidam punctus extra Æquatorem conſtitutus, in eodẽ circulo poſitionis: vt ſtella aliqua, aut alio quouis modo notatus punctus: qui vnà cum ſignificatore ad finitoris contactum collocabitur, atq; ſic rurſum eleuatio poli ſupra circulum poſitionis dignoſcetur. Aſcenſionẽ quoq; obliquam aut deſcenſionẽ pro tali ſitu idem horizon notabit. Vnde per tabulas aſcenſionum obliquarum facilima erit operatio. Sub horizonte. Cautio. Aſcenſio obliqua.

CAPVT XXV.

Quo pacto ex globo horologium in plano horizontis deſcribatur ad quamcunq; regionis latitudinem.

Conſtituatur itaque ſphæra ſecundum latitudinem propoſitã. Deinde cõſtituatur ſub Meridiano circulo Colurus Æquinoctiorum, qui eſt circulus in ſphæræ ſuperficie deſcriptus per initia Arietis & Libræ, perq;

duos polos transiens: Mox in Æquatore numerentur à principio Arietis.15.gradus, quorũ terminus statuatur ad meridianum, ac simul notetur quantum in horizonte Colurus ille distet à Meridiano versus occasum: numerusq́ ille graduum notetur diligenter, qui erit horæ primæ. Pro secunda hora applicentur Meridiano.30. gradus Æquatoris, iterumque notetur numerus graduum horizontis qui à Coluro dicto tangitur. Pro hora tertia.45.gradus Æquatoris Meridiano adaptentur, pro hora quarta.60. pro hora quinta.75.gradus Æquatoris eidem Meridiano iungantur, & singulis vicibus notentur gradus quos in horizonte notat Colurus ille dictus, numerando gradus horizontis à Meridiano versus occasum. Sic enim habes interualla horariarum linearum in plano pro quinque horis. Sexta autem hora in omni superficie plana iacenti per quadrantem circuli distat. Exempli gratia: libet horologium in plano horizontali describere ad latitudinem 51.graduum. Primo itaque sphæram compono, vt polus.51.gradibus supra finitorem extet. Tum verò Colurum Æquinoctiorum à Meridiano deuoluo versus occasum per.15.gradus Æquatoris qui vnius horæ spacium comprehendunt. Idem posset fieri per indicem hora-

rium

rium qui horas in circo horario indicat. Hic enim positus ad horam duodecimam simul atque Colurus æquinoctiorum Meridiano subiicitur, deinde promotus ad horam primam idem efficit quod præcedens operatio. Verum exactior est ratio per Æquatoris partes. Collocato igitur sic vt diximus Coluro, inuenio in Horizonte.11.gradus cum dodrante, siue.45.scrupulis primis. Hæc est distantia primæ horæ à duodecima siue Meridie in plano Horizontali. Pro secunda hora applico ad Meridianum 30.gradus Æquatoris, & incidit Colurus in 24.grad.&.9.scrupula Horizontis, à Meridiano computando. Pro hora tertia admoueo ad Meridianum.45.gradus, ac tum Colurus incidit in.37.grad.52.min.Horizontis. Pro quarta hora.60.gradus Æquatoris Meridiano applicantur, & Colurus abscindit in Horizonte.53.gra.24.mi. Pro quinta demum hora vbi.75.gradus Æquatoris meridiano iunxero, Colurus in horizõte notat gra.71.ferè. Iam describe in plana supficie circulũ pro arbitrio magnũ. Hunc duobus diametris ad angulos rectos sese secãtib.in quatuor quadrãtes partire. Quorum alter linea erit horæ duodecimæ, alter linea erit sextæ horæ & ante meridianæ & pomeridianæ. Pro reliquis iam horis partire vnũ

quadrantem in.90.partes more consueto. Mox ab hora.12. exorsus cõputa distantias horarum antea annotatas ex sphæra. Nempe pro prima hora.11.grad.45.mi.pro secunda.24.gra.9.mi. atque ita de reliquis. Ex notis his in quadrante acceptis ducantur lineæ ad centrum circuli. Sic igitur quadrantem vnum absoluisti. Sed quantum linea horæ primæ distat in ortum à meridie tantundem linea horæ vndecimæ in alterã partem distat. Sic hora secũda & decima æqualiter hinc inde à meridie distant. Itidem hora.3. &.9. Itemq; hora.4.&.8. Hora etiam.5.&.7. Ex vno ergo quadrante reliquum facies traducẽdo hinc inde à linea horæ duodecimæ quæ erat alter diametrorum, æqualia horarum spacia.


Completo itaq; semicirculo si lineas ad centrum ductas produxeris in oppositam circumferentiã habebis omnes horas. Index autem erit stylus ex centro circuli eleuatus supra lineã horæ duodecimæ, atque inclinatus secundum axis mundi inclinationem, hoc est secundum angulum latitudinis regionum. Numerando igitur in quadrante latitudinem regionis, atque per eam ex centro ducendo lineam rectam: qualem angulum ea facit cũ linea duodecimæ, talem faciet index cum eadem linea duodecimæ. Cõfice igitur tibi tabellam desinentem in angulum æqualem

Index horarius.

illi,

illi quem in plano didicisti, ex ligno aut ære, ac per eam styli eleuationem corrige. Aut ipsam tabellam super linea duodecimæ firma, ita vt anguli conus in centro desinat circuli, atque ipsa tabella ad angulos rectos consistat. Sic habes horologium quod in plano horizontis collocatũ secundum mundi plagas, ita vt linea duodecimæ recte meridiem aspiciat, sole lucente ac non impedito horas indicabit.

Horologium Horizontale
ad latitud. 51.



CAPVT XXVI.


Quo pacto Horologium murale describatur ex sphæra ad quamuis latitudinem regionis.

Componatur sphæra quemadmodum in præcedenti capite dictum est. Pro horis quoq; prima, secunda, tertia, & reliquis per ordinē: applicetur meridiano gradus Æquatoris. 15.30.45.60.75. *Quadrans verò altitudinis ad verticis punctum aptetur, ac pes eius in occidentem Æquinoctialem dirigatur, atque sic per horarum omnium inuestigationem conseruetur. Singulis autem vicibus cum gradus Æquatoris horis singulis attributos meridiano applicueris, notabis diligenter gradus eorumq; partes, quos Colurus Æquinoctiorū abscindit in Quarta altitudinis numerādo à vertice deorsum. Illi siquidem horarum distantias in plano murali indicant. Appello autem nunc planum murale, superficiem planam ad perpendiculum erectam, & meridiei exactissime obiectam, extensam autem directè ab Occidente in Orientē. Sic igitur in latitudine.*51.*graduum, inuenies (exempli gratia) distantiā horæ primæ à meridie.*9.*gra.*33.*mi. Horæ secūdæ.*19.*grad.*58.*mi. Horæ tertiæ.*32.*gra.*11.*mi. Quartæ.*47.*grad.*28.*mi. Quintæ.*66.*grad.*55.*mi. Sexta autē, sicut*

in præcedẽti, quadrãte distat à duodecima. Describe igitur in plano semicirculum, eumque in duos quadrãtes diuide, ducto semidiametro ex centro ad mediũ semicircumferentiæ. Hæc erit linea duodecimæ. Diuide iam quadrantem in 90. partes. Numera quoq; distantias horarum ex sphæra deprehensas à duodecima hora, quas distãtias hinc inde à duodecima æquales efficies: atq; ex notis ad centrũ lineas ducito. Erit itaque completum horologium quod si ad murum componas, ita vt directe meridiei obuertatur, ac perpendiculariter stet: sufficiet ad horas indicandas ex solis vmbra. Verum index qui ex centro producetur, cum linea duodecimæ non faciet angulum latitudinis regionis, sed angulum Æquatoris & horizontis. Hunc autem cognoscis si latitudinem regionem ex. 90. gradibus aufers. Vt in latitudine. 51. graduum angulus indicis muralis erit. 39. graduum. Numerando igitur in quadrante iam diuiso. 39. gradus, ducendoque lineam ad centrum, habes angulum quem facit hæc linea cum linea duodecimæ. Secundum quem stylum ex centro horologij muralis compones. Horologiũ verò murale meridiẽ aspiciẽs, & perpendiculariter erectũ, nunquã vltra duodecim horas cõplectitur, atq; hinc est quòd semicirculũ tantũ proposuerimus. Index.

Posset quoque ex sphæra horologium ad quamcunque superficiem designari, verum sufficiunt hæc pro nostro instituto. Nam multo plura atque infinita quodammodo de vsu globi præcepta adiicere liceret: nisi modus in omni re seruandus esset. Potissimũ verò in hoc instrumento, quod ipsum sua facilitate prompta sese explicat, ac captui discentium quasi sponte obuiat. Nisi sane quis omnium rerum ignarus, ac nullis initiatus mathematicis artibus accedat. At sapienti dictum sat est.

Horologium murale
ad latitud. 51.



Finis secundæ partis.

TERTIA PARS
de orbis diuisione.

CAPVT PRIMVM.

Orbis habitabilis portio, à veteribus oĩbus in tres diuisa fuit præcipuas partes: scilicet Europã, Asiam, & Aphricã: quibus nunc quartam adiungimus cæteris non imparem Americam. Europam licet omnium minimam primũ describere solent geographi, cùm ob frequentiores in ea cultores, tum ob præclara eorum gesta qui hanc incoluêre. Aliæ enim partes licet maiores ac vastiores pateant, minus tamẽ sunt habitatæ, adeò quidẽ vt quæ de Asiæ maiori parte tradantur, fabulæ loco habeantur: Similiter de Aphricæ parte quæ in Austrũ vergit. Americæ verò quasi Megarensiũ nulla apud eos fuit mentio facta. Terminatur autem Europa vndique ferè pelago: ab occidentis enim parte oceanum habet occidentalem aut Vergiuum, deinde mare Cantabricum: à boreali, Aquitanicũ & Britannicum: à septentrione Germanico alluitur oceano & hyperboreo: pars orientalis ab Asia Tanai fluuio dirimitur, qui ex montibus Hyperboreis prorumpens in paludem Mæoti-

Europæ descriptio

Tanais fluuius.

dis decurrit. Idem hic fluuius à Barbaris Silis dicitur & Don. Deinde palude ipsa Mæotidis clauditur, postea Cimmerio Bosphoro, pōto Euxino: hinc propontide & Hellesponto: sequitur deinde mare Ægeum. Partem quæ Austrum aspicit mare mediterraneum ab Aphrica seiungit: quod varia tamen interim pro locorum, nationum, insularum, euentorumq́ diuersa ratione nomina sortitur. Post Ægeū sequitur Mirtoum, deinde Lybicum vel Punicū, deinde magis in occidentem & boream mare Hadriaticum vel mare Superū vel Venetum: Sub Italia mare Tyrrhenum aut inferū, Ligusticum, Sardoum, Siculum à Sicilia, Balearicū, ab insulis illius nominis: postea Ibericum ab Hispania, quæ græcis Iberia ab Ibero fluuio dicta fuit. Demū quod angusta via Iberiam à Mauritania separat mare, Herculeum fretū à geographis dicitur, nunc verò strictum Sibiliæ vel strictum de Gibaltar. Hæc de Europæ descriptione aut circumscriptione animo hærere oportet, vt sciamus, & in prōptu habeamus quæ regio, aut quis mons, cuius sit partis mundi, si fortè aut scribere aut dicere aliquādo animus fuerit, quod quidem Momi auribus dignū erit. Figura autem continentis ipsius Europæ, draconis ferè effigiem reddit, cuius caput in occidentem

Strictum Sibiliæ.

spectat,

ſpectat, & vtrinq; in Auſtrum aduerſamq; partem alas expandit, quæ ſunt Italia, & Cymbrica Cherſoneſus. Partes autem Europæ præcipuæ ſunt Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, Rhætia, Vindelitia, Pãnonia, Dacia, Græcia, Sarmacia; &c. Partes Europæ

CAP. II. De Hiſpania.

Hiſpania quæ & Iberia, prima pars continentis vndiq; oceano clauditur, niſi vbi Pyrenæi mõtes ipſam à Gallia ſeparãt ac diſterminant, ab ortu videlicet: ab occaſu enim habet oceanum occiduum: à ſeptentrione Cantabricum: ab oppoſita parte mare mediterraneum, quod ibi fretum Herculeum & mare Balearicum appellatur. Ptolomæus hãc in tres diuiſit partes, ſicut etiam Strabo, & pleriq; veterum: ſcilicet in Bethycam, Luſitaniam, et Tarraconenſem. Nonnullis in ſex, aliis in quinque diuiditur partes: vt in Carpentaniã, Bethycã, Luſitaniã, Caleciã, Tarraconẽſem, & Cartagi nenſem. Nũc in octo ferè regna diſtincta eſt. Bethyca, aliis Betica, à Bethy fluuio vulgo Gualdalqueuir, qui mediam abluit nomẽ ſortita eſt, nũc regnum Granatæ vocatur. Diſterminatur autẽ à Luſitania, fluuio Ana, qui nũc Guadiana dicitur: deinde recta linea ad Balearem vſque ciuitatẽ quam Bariã putãt: reliqua latera mari occiduo & Herculeo freto includuntur. Granata.

Hanc regionem Plin.li.3. Italiæ cōfert, quòd pulchritudine regionis, ingeniorum fœcunditate, fructuum magnitudine facile cæteras regiones antecellat: tum quia in vicino fortunatæ insulæ adsunt, tum etiam quia quarto climati subest, quod optimam ad omnia temperiem præstat. Hæc itē regio Plinio in vlteriore Hispania continetur cum parte aliqua Lusitaniæ.

Huic vicina est in mari occiduo non longe à continenti insula fertilis oleastri Gades, græcis γαδείρα*: Dyonisio Cotynusa, Volunt alij dictā fuisse Erythream. Dicitur hodie Calix siue Calys. Lusitania à lusu Liberi patris dicta, habet à Septentrione Tarraconensem Hispaniam divisam ab ea Durio fluuio: hinc linea ad Anam fluuium latus orientale finit: Anas verò fluuius meridionale: demum occidentalis pars oceano alluitur occiduo. Hanc nostra ætas Portugaliam vocat, quanquam limites eius nonnihil à veterum distinctione varient: vnde & hodie ad insulas Moluccas sub India sitas nauigatur. Vnicus in ea est mons lunæ, in latere occiduo situs, vnde promontorium Lunarium, Ponte de luna. Tarracoñēsis Hispaniæ tertia pars, habet à meridie mare Balearicum, è aduerso Cantabricum: ab occasu occiduum, & partem Lusitaniæ: ab ortu Pyrenæos montes qui Galliæ*

Gades insula.

Portugalia

liæ

liæ obiiciuntur. Tota hæc pars quinq; iam regna complectitur, Gallitiam primam ab occidentali parte, regnum Nauarræ statim à Pyrænæis montibus supra Durium fluuium, qui & Dorias dicitur: Regnum Castellæ, aliis Castiliæ, inter Gallitiam & Nauarræ regnum in gradibus longitu.12.la.42. Regnum Catelloniæ supra Baleares insulas ad mare nostrum, siue Ibericum. Regnum Tarraconēse, quod alij omissa vnica litera Aragoniæ dicūt, proximum etiam à montibus Pyrænæis, verum ad partem meridionalem, ita vt mare nostrum ipsum alluat. Quibus etiam Legionis & Toleti regna adnumerantur. Fluuij Hispaniæ partim dicti sunt. Est præterea Tagus fluuius notus ab auri arenulis. Item Iberus fluuius vulgo Ebro ex Vindio monte in mare Balearicum progreditur. Idem mons nunc Ronciuallis dicitur & Rauanella. Demum sub Tarraconensi Hispania, duæ iacent insulæ non longe dissitæ Baleares, quarum quæ magis spectat in occidentē maior aut maiorica dicitur, reliqua minor aut minorica. Adiacet etiam Lusitaniæ Londobris insula quæ nunc cum aliis paruis insulis Berlingæ dicuntur, longitudine.3.grad.latitudine 41.ferè.

Gallicia. Nauarra. Castellæ. Catelloniæ Terraconiæ Tagus flu. Iberus flu. Baleares. Maior. Minor.

CAPVT

CAP. III. De Galliæ terminis.

Descriptis Hispaniæ limitibus nō solum secundum Ptolomæi, Plinij, Strabonis, aliorumq́; scriptorum claßicorum opiniones, verum etiam secundum neotericorum aßignationem, occurrit proxima Hispanis Gallia: cuius latus occidentale Pyrenæis montibus ab Hispania, oppositum Rheno fluuio à Germania disterminatur. Reliqua duo latera oceano & nostro mari includuntur. Atque hic fuit antiquioribus limes Galliæ, nunc non eousque protēditur, verùm magna pars Germaniæ inferiori acceßit: vt Hannonia, Flandria, Brabantia, &c. Cæsar omnem Galliam in tres diuisit partes, Aquitaniā, Celticam, & Belgicam. Aquitaniam distinxit à Celtis Garumno fluuio, Has à Belgis Sequana fluuio, Belgas demum à Germanis fluuio Rheno. Ptolomæus verò, ac posteriores Geographi quatuor adsignant partes Galliæ: scilicet, Aquitaniā, Lugdunensem, Belgicam, ac Narbonensem. Aquitaniæ fines describunt, ab occasu oceanus Aquitanicus: à septentrione & ortu Liger fluuius: à meridie tum Pyrenæi montes, tum etiam Narbonensis Gallia. Distinguitur hodie in has prouincias, Auerniam, Guasconiam, Andegauiam, Borboniam, Armiacum, Barim. Populi verò

Diuisio Galliæ.

Aquitania.

Auernia.

eius

eius sunt Bituriges, Vascones, Auerni, Lemouices, Pictones, Xanctones, & nonnulli alij.

Lugdunensis Gallia finitur oceano Britannico à septentrione: ab occasu partim oceano, partim Aquitaniæ dictis terminis: ab ortu Sequana fluuio: ab austro Narbonẽsem Galliam habet diuisam ab ea Iura monte. Huius populi olim fuere Bellocassi, Cenomanni, Redones, Nannetes, Eburaici, Sennones, Carnutes, Parisij, Segusiani, Hedui, ac alij nonnulli. Nunc verò Normandiam ad partem orientalem & septentrionalem, iuxta Sequanam fluuium continet. Normãdia. *Item Britanniam (cuius etiam Plinius mentionem facit) ad occidẽtem & boream:* Britannia. *sub hac verò Turoniam, & populos Samnitas, Cõsopitenses & Arubios.* Turonia. *Belgica veterum descriptione à septentrione Britannicum oceanũ: ab occasu Lugdunẽsem Galliã discretã ab ea flumine Sequana: ab aduersa parte Rhenũ fluuiũ: deinde à meridie Narbonẽsem Galliã habet. Diuiditur nũc in plures prouincias: scilicet in Picardiã proximã à Sequana fluuio ad oceanũ ferè Britãnicũ:* Picardia. *In Campaniã deinde magis australẽ apud eundẽ fluuiũ:* Campania. *In Borgõdiã, quæ ferè Narbonẽsem attingit Galliã apud fluuiũ Ararim qui Rodano coit: in quo situ Pto. Mediomatrices, Lingones, Sequanos, & Eluetios (quos nũc Suiceros vocãt) posuit. Picardiæ loco Pto.*

Ambianos posuit, Atrebates, et Cameracenses. Pro Campania. Bellouacos, Vessones siue Suessiones, & proximos Renos & Romanduos, hoc est Veromanduos collocauit. Continet autem Belgica plures alias prouincias, quas nostra ætas Germaniæ attribuit inferiori, vt Flandriam & Hannoniam ad oceanum Germanicum, vbi Pto. Morinos descripsit, atque vt ait Volatera. Bellocassios. Postea in ortum ac Boream Hollandiam: cuius populum Batauos appellat Ptolomæus. Hinc redeundo versus Austrum Brabãtiam habet loco quo Ptolomæus Tongros, ac alij Grudios collocant sub gra. long. 26. mi. quasi. 30. lat. 51. mi. 30. Deinde Geldriam ducatũ, cuius incolæ & Sicambri & Ptolomæo Menapij dicti vidẽtur. Hinc Austrum versus Luxemburgẽsis ducatus cõtinetur apud Mosellam fluuium, quem Obrincum nominat Ptol. Atque hinc etiam magis in Austrum Lotharingiæ ducatus est loco quo Ptolomæus Leucos & Tullenses descripsit, proximosq́ Nemetos. Quibus etiam vicina est Alsatia vini optimi ferax neque frumenti indiga, in gra. lon. 28. lat. 48. ferè. Hinc etiam atque etiã versus meridiem apud fontes Rheni atq; Alpes, Suitia, siue Suiceri, veteribus Heluetij, Marte clari. Hæ verò posteriores prouinciæ Germaniæ superioris

Veromanduos.

Hollandia.

Brabantia.

Geldria.

Vastum renum.

Lotharingia.

Suitia.

perioris sunt partes: Illæ verò, inferioris: cuius populi moribus ac linguis proxime accedunt ad Germanos: Imò vult Plin. hanc Galliæ partẽ per M. Agrippam populis transrhenanis occupatam fuisse. In hac Galliæ parte ingens est sylua (Arduennam vocant) 30. miliaribus ab austro in septentrionem protẽsa, cuius medium habet gra. longitu. 29. mi. 40. lati. verò. 49. mi. 24. Sequitur nunc quarta Galliæ pars Narbonensis, quæ & Transalpina Cæsari dicitur, ab occasu montibus pyrenæis contenta, E regione Alpibus: à septentrione Lugdunensis & Belgicæ Galliæ parte: A meridie mari Gallico. Continet nunc regiunculas, Prouinciã & Delphinatum, apud Alpes & mare Ligusticum. Prouinciam maritimã prorsus, Delphinatum ad Rhodanũ, magisq́ ad Boream. Deinde magis in occasum vltra Rhodanum fluuium, Longodocham, in quo loco Pto. Tectosaces & Volcas describit: Demum apud Galliæ Belgicæ limites, Sabaudiam: cuius olim gentes Allobrogæ Ptolomæo dictæ fuisse videtur & Memini. Montes præcipui Galliæ sunt Cemeni vel Cameni, nunc Cauerna, in gra. lon. 22. la. 46. Vogesus mõs alpibus iunctus. Fluuij Garumpna, ex Cemenis montibus in mare Aquitanicũ fluens: Liger ex eodẽ monte versus mare Britan-

Arduenna sylua.

Prouincia. Delphinatus.

Longodocha.

Sabaudia.

Cauerna mons.

Fluuij. *nicum: Sequana ferè ex Vogeso in Britãnicum oceanum: Rhodanus ex Alpibus in mare Ligusticum, cõstituens interim lacum Lemanum ingentẽ, cuius accolæ Alemani sunt & regio Alemania dicitur. Scalda flu. quẽ Pto. Tabudã vocat, ex Veromãduorũ regione ortus, variisq; auctus et fluuiis & riuulis Antuerpiã præterfluẽs in mare Germanicũ se exonerat. Cuius ostio obiectæ partim sunt, partim vicinæ, insulæ Zelandiæ hodie vocatæ. In quibus ex salis apparatu quæstũ haud cõtemnẽdum faciũt incolæ. Creduntur olim cõtinẽtis fuisse partes, at nũc ita diuulsæ sunt, vt vix aggeribus maximo sumptu congestis se ab oceani impetu tueri queãt. Sitæ sunt in lon. 26. gra. la. 52. gra. 20. mi. ferè.*

Alemania.

CAP IIII. De insulis Britannicis.

G*Alliæ iamiam à nobis descriptæ, supiminẽt à septentrione insulæ duæ Britannicæ, quarum quæ magis in occasum vergit Hybernia dicitur hodie Iirlandt. Gens est immanis, ferox & inculta. Equos mittit oneribus ferẽdis q̃ aptißimos. Hinc versus Boream sita est insula Islandia ad mare glaciale, cuius incolæ Ichtiophagi sunt, habet autem latitudinem ab Æquatore tantam vt Circulus Arcticus mediam secet, hoc est. 66. grad. cum semisse ferè. Longitudinem verò. 8. aut. 9. graduum.*

Iirlandt.

Islandia.

Sunt

Sunt in ea montes perpetuo ardentes, qui tamen niuem in verticibus nunquam amittunt. Paret regi Noruegiæ. Albion insula Britannica Hyberniæ ad ortum sita, naturaq́ (vt ait Cæsar) triquetra, cuius latus imum contra Galliam est, habet à septentrione oceanum Deucalidonium: ab ortu Germanicum, ab austro Britannicum, ab occasu Vergiuum. Hæc insula iā nomine mutato in duo diuisa est regna, Angliam & Scotiam, limite (vbi arctior est) duorum plus minus passuum. Angliam autem ab Angilis Teutonorum populis qui eam occuparunt, nomen sortitam esse scribit Volateranus. Angliæ solū fertile est, maxime pecoribus alendis aptum. Vnde & lanificiis ditatur. Nam vt lupos non habet, ita oues plurimas alit. Mittit & stannum, & plumbum: Habetq́ non solum metallorū fodinas, sed et salis. Nec caret gēmis. Potissimū verò Gagatem lapidē abunde profert. Mores, lingua, cultusq́ Anglis Scotisq́ nō multum dissimiles: Animorum tamen consensus rarus est. Huius item insulæ extremitati Aquilonari obiectæ sunt insulæ triginta numero, vocatæ Orchades, Regi Scotiæ subditæ: sub grad. longitud. 30. vt Pto. ponit, Verum vt recentiores. 22. gra. cū semisse ferè. Latitudo circa mediū earum est. 61. gra. ac paulò amplius. Anglia. Orchades.

G 2 Sunt

Sunt etiam inter Hyberniam & Scotiam plures insulæ Ebudæ vocatæ, Quarum longitudo est.15.aut.16.ferè grad. latitudo.59.circa medium ipsarum. Porrò & magis in Arctum Hetlandiæ insulæ ponantur non paruæ magnitudinis, circa latitudinem.63.ferè gra. longitu. quasi.15. An verò vna ex istis sit ea quæ Ptolomæo veteribusq́ scriptoribus dicta fuit Thyle, an potius ingens illa insula dicta Islandia ego neq constanter affirmare, neque etiam prorsum negare ausim: eo quòd nũc nulla eo loco deprehendatur insula quo Ptolomæus statuit Thylen. Nec mirum adeo quia nunc recentiores longe aliam faciunt longitudinem regionum, præcipue circa Scotiam vicinasq́ insulas, quam Ptolomæus crediderit. Sed de his satis.

Ebudæ.

Hetlandia.

Thyle.

CAP. V. De Germania.

Germania cognomine magna, versus occasum Rhenum attingit, à Septentrione oceano alluitur Germanico. Ab ortu Vistulam fluuium habet & Carpatum montẽ: Reliqua pars Danubio fluuio & Alpibus clauditur. Dicta autem est Germania eo quòd eius gentes germani siue fratres viderentur Gallorum. Regiones eius nominibus parũ cũ veterũ descriptione nũc cõueniũt. Pli. vniuersam Germaniam in quinque diuidit genera, Isthæuones pro-

Germania vnde dicta.

proximos rheno, deinde in Hermiones, Ingeuones, Vindelos, & Peucinos. Pto. in tres præcipuas diuisit partes, scilicet in Germaniã superiorẽ, Inferiorẽ, ac magnã. illæ iam dictæ sunt. Restat tertia Germaniæ pars, cuius à septentrione circa Rheni ostia, prima regio occurrit Phrysia vel Frisia, nomẽ adhuc vetus retinẽs. Phrysia. *Nunc in tres diuisa partes, occidẽtalem, orientalem, & mediã Grueningensem, Proxima est Saxonia sub Cymbrica Chersoneso aut sub Danis, cuius populi proximi à Danis Saxones apud* Saxonia. *Pto. li. 2. dicũtur: reliqui verò Teutonarij, Cauchi, Angriuarij, &c. Habet deinde Saxonia ab occasu, prope Rhenũ flu. Busactores paruos, quos Pli. Isthæuones appellat, & proximos Sycãbros. Quorũ loco nunc Geldriæ ducatus pars est, cũ Zutphaniæ comitatu, & proximis ciuitatibus. Sequũtur paulũ ad Austrũ magis Lõgobardi, Casuari, Tenceri, & Incriones, eã incolentes regionẽ quæ nũc partim Hassia est, partim Vuestphalia. Alioqui Busactori maiores et* Vuestphalia. *Chæmæ Vuestphaliæ partẽ incolebãt: & Chattæ, Hassiæ partẽ magis oriẽtalẽ vsq; ad Turin-* Hassia. *giã, quæ & à Casuaris colebatur. Hinc rursum* Turingia. *ad Reni latus magisq; in austrũ, Intuergi, Vargiones, & Carithni habitabãt, quæ nũc Fraconia creditur, nobilis Germaniæ regio in lon. 30* Franconia.

Misnia. ferè grad.la.50. Misnia verò regio circa Albis fluuij ductū est vbi Ptol. Camanos & Tubātos designauit sub grad.lon.36.la.51. Rursus apud Sueuia. Rhenū & Danubij ortū Sueuia est nomē adhuc vetus retinens, & Valesia circa Rodani fontes inter alpiū iuga illā nōnulli apud Albim flu. describūt: verū Straboni nostra descriptio & hodierna respōdet, Pto.tamē Sueuorū situ statuit vbi nos Saxoniā descripsimus apud Angilos et Lōgobardos. Huc vsq; in Germaniæ descriptione à septentrione in meridiē inter duos fluuios Rhenū atq; Albim processimus, nūc eodē ordine regiones quæ sunt inter Albim & Vistulā fluuios pcurremus. In quibus tū enarrādis nostrā nō prorsus adstringimus fidē: sed tantū dicturi, quantū cōiectura adsequi licet, facta collatione nouæ descriptiōis orbis cū Ptolomæi tabulis cosmographicis. Extremum igitur cōtinētis in Arctos ēxtēsum Cymbrica Chersonesus est: Cuius populi Cymbri, Charudes, Phundusij, Cobādi, & Chali dicti sunt, à Ptolo. nos verò vno noīe Dania. Danos dicimus, & Chersonesum, Daniam, alij Iutiā & Holsatiā. Qui magis austrū et ortum Mechelburgēses spectāt populi, Veruni sunt & Pharodini, Mechelburgēses à neotericis dicti, sub gra.lō.37.la. Pomerania 56.ferè. Deinde ad Vistulā vsq; flu. Pomerania regio extēditur, quā incolebant olim Sidini & Marca. Ruticlij. Marca antiqua regio sic dicta vltra

Albim ponitur, Cuius populos Pto. Sennones, Loccobardos, & Batinos appellat. His orieta liores Lutyburi sub Marchia noua cōtinētur in gra. lō. 40. ferè. la. 53. Sequitur ad austrū Schlesia & Vratislauia regiones sic satis agrorū vbertate prædita, quarū populi Danduti et Cogni dicti sunt, sub gra. lon. 40. lat. 50. & mi. 40. Inde ad Albis fontes occurrit Boëmiæ regnū mōtib. et syluæ Hercinie parte interclusum, frumētiq; ferax, sub grad. lon. 36. mi. 20. la. 49. mi. 40. In eodē ferè situ Pto. Boëmos describit, verū paulò magis versus Danubium flu. Postea paulò plus ad ortum & Danubium Morauia regio est, in montes vsq; Sarmaticos extensa, vini frumentiq; fertilitate gaudens. Huius populi Marcomanni Pto. dicuntur, sub gra. lon. 40. la. 48. & semisse. Hæc de Germaniæ regionibus & populis maxime celebratis huc vsq;. Montes Germaniæ præcipui sunt Alpes qui eam ab Italia seiungūt, sub gra. lon. 30. la. 45. 46. & 47. Carpathus mons sub gra. lon. 44. 45. 46. & 47. la. 48 Hic tamen nō tam Germaniā occupat, q̄ finit. Abnobius mōs sub gra. lō. 3[illegible]. la. 51. ferè, qui nūc Hassiæ sunt et vicinarū regionū mōtes. Est insup Germania multis ac densissimis syluis cōsita, Præcipua tū vnde oēs aliæ ortū habere vidētur Hercinia sylua est, aut secūdū Pto. Orciniū ne

Marchia

Schlesia

Boëmia

Morauia

Montes

Hercinia sylua.

mus, apud Abnobium montẽ orta, & circa Boẽmiam, deinde per totã Germaniam ac per Sarmatiam Europæ serpens ad hyperboreos vsque montes extenditur: verum interim diuersa pro diuersis regionibus nomina accipit. In principio enim Nigra sylua dicitur: deinde alia atq; alia in successu admittẽs nomina. Est item alia ingens sylua Semana à Ptol. dicta circa Thuringiam orta & in diuersas etiam partes Germaniæ diffusa. Quæ nunc Picearia dici videtur.

Fluuij. *Fluuij hij sunt: Danubius haud admodum longe ab Alpibus in nigra sylua, in longitu. 30 grad. lat. 48. gra. 10. mi. quasi ortus, multisq; assumptis fluuiis sex ostiis in pontum Euxinum erũpit. Rhenus ex alpibus in ea parte vbi Adula est mons eminentissimus in oceanum Germanicum inter Phrysiam & Hollandiam tribus potissimum ostiis egreditur. Obrincus flu.*

Mosella. *qui nũc Mosella putatur, circa Vogesum montem fontes habens, Rheno coniungitur. Mosa etiam nõ longe à Vogeso ortus, itidem cũ Rheno se admiscet circa Brabantiam. Amasus per Phrysiã in Vestphalia ortus in mare Germanicum profluit. Visurgus in Thuringia incipiens, in mare Germanicum desinit. Hic nunc*

Besera. *Besera dicitur. Albis fluuius prope Boẽmiam exortus, in mare Germanicum Daniam à dextris*

xtris linquens sese exonerat. Sueuus fluuius, quem nunc Spre vocant, in montanis Boëmiæ & Schlesiæ ortus, in mare Sarmaticum egreditur. Sequitur hunc ad ortum Viadus fluuius aut Odera. Demum Vistula fluuius in mõtibus Sarmaticis ortus, Germaniam à Sarmatia disterminans in mare Sarmaticum defluit. Hic etiam Isula dicitur Melæ. Spre.flu.

CAP. VI. De Sarmatia Europæ.

Sarmatia Europæa, cuius gentes omnes cũ Sarmatiæ Asiaticæ populis Scythas veteres vocauêre, deinde Sauromatas tantum, quas nunc Sarmatas dicimus: ab Arctis habet mare Sarmaticum cum sinu Venedico ab occasu Vistulam fluuium, secernentem eam à Germania, ab opposita parte Thanaim fluuiũ cum palude Meotidis, deinde meridionale latus terminat Carpatus mons cum Sarmaticis montibus. Plurimas nunc continet regiones Poloniã maiorem & minorem, illa à Pomeriana Ducatu incipiens vtrunq; latus Vistulæ occupat & versus occidentem ad Oderam fluuium vsque protenditur, huius gentes Vandali & nonnullis Vindali dictæ fuerũt sub gra. lon. 45. la. 52. Altera versus Austrum in mõtes Sarmaticos & Carpatum montẽ incidit, proprium habens regem sub gra. lon. 46. la. 51. huius olim gentes Polonia.

fuere Burgiones, Cistoboci, & Visburgi. Regiones autē sunt non multum frequētes habitatoribus. Magis ad mare Sarmaticū in ora cōtinentis post Pomeraniā ad ortum sita est Prussia regio frequēs habitatoribus, et pascuis pecoribusq́ dives. Hic etiā Succinū quod graeci Electrū vocāt abunde colligitur. Incolae olim Gothones siue Gythones Venedae & Sudini dicti. quorum mediū ferè habet lon. 47.30. lat. 54. Sequitur versus orientē & meridiem Russia rubea vel Rhutenia, cuius gentes Roxolani Pli. dicūtur. Post ad Tanaim flu. Podolia. Hae regiones mel & ceram affatim gignunt, populi verò earū à Pto. Cariones, Gillones, Amazobij & Exobigitae dicuntur sub grad. lon. 55. la. 52. Huic Podoliae cōnectitur Isthmo penitus arcto Taurica Chersonesus contra Achillaeū promontorium Asiae: inde nomē sortita, ꝙ quidā ibi boues primus aratro iungere tentauerit, Peninsula est vt ex descriptione nostra videre licet, nunc minor Tartaria dicta, barbaris Gazaria sub gra. lon. 62. la. 48. Deinde rursus ad Oceanum pauloq́ plus ad ortū sita est Littouia quae eadē Samogitia neotericis dicitur vel Lituania, vbi Pto. Alauni Scythas describit & Sturnos.

Idem Vbiones, Aribos, Scauros, Boruscos, qui hodie Prussiae creduntur incolae, & Voltas

Prussia. Russia. Podolia. Tartaria minor. Gazaria. Lituania Samogitia

ad

ad montes Ripheos locauit. Quanq̃ verò ii qui hodie regiones frequẽtius lustrarũt, negẽt vllos hic esse mõtes, sed vastas syluas. nos tamẽ locum notauimus in nostra descriptione propter veterũ autoritatẽ, scilicet inter Thuruntũ et Chersinũ flu. quorũ ille ab aris Alexandri, aut à Tanai flu. hostiis, in mare Sarmaticũ delabitur. Hæc regiuncula Curlandia quibusdã est, non vsque adeò ciuitatibus atq; syluis cõsita. Hinc sequitur Liuonia vltima inter veteribus cognitas regiones Sarmatiæ, longe in septentrionẽ dissita Hyperboreis proxima, Cuius populi Pagiritha & Careotæ & Carbones. huius situs est in longitudine 63. gra. la. 60. partiũ & 40. mi. Sequũtur hinc in Arctos adeò extensæ regiones vt etiam circulum Arcticum transcendant, quarum descriptio versus Germaniam & Sarmatiam reducta in Austrum peninsulæ figurã efficit. Et quanq̃ hodie regna habeat terna ac insuper incolas admodũ varios, lateq; in septentrionẽ effusos, ex quibus olim Gothi, Vuandali, ac etiam Huni creduntur prodiisse, qui Europam penè totam occuparunt: incognita tamẽ veteribus mansit. Cõtinet autẽ regnũ Daniæ et Schandiæ sub lon. 38. lat. 60. Regnũ Sueciæ in quo Gothia oriẽtalis sub longitudine 45. grad. lat. 64. & 65. gra. Hic & auri fodinæ extant. Curlandia.

Regnum demũ Noruegiæ magis in occasum & Septentrionem, circa longitudinem 42. gra. lat. 66. Hæ verò regiones magnis finibus & fluuiis intercisæ longe excurrunt versus Septentrionem, vbi & Pilappi & Vuillappi habitãt homines admodum agrestes. In orientali verò peninsulæ dictæ Finlandia est regio, hoc est pulchræ nunc sub Sueciæ regno contenta. Terra plana fertilis et amœna, sed frigida admodũ, nempe quæ proximè circulum Arcticũ attingit in longit. 53. ferè grad. lat. 65. Deinceps verò incultæ regiones sequuntur & frigidæ adeò, vt perpetua ferè glacie concretæ sint. Quo fit vt bella commodius hyeme quàm æstate gerantur. Atq; in æstate mensem totum solem conspicuũ habent, quidàm etiam diutius, pro sphæræ incli natione. Varia circũquaq; monstra visuntur. Quin & cacodæmones varia sub spectri specie sese visui obiiciunt, ac nonnunquã operam suã certo tempore locant. Adiacent his regnis insulæ non exiguæ, quarum præcipua Zelandia est, in qua & regia ciuitas est Coppenhaga siue Hafnia: sub grad. lõg. 37. fere latitud. 57. grad. Ab hac versus occasum propè littora Cymbricæ Chersonesi Fionia est, sub long. 35. propè graduum: Latitudine 56. gra. 30. mi. Femara sub long. 35. grad. 20. mi. latitud. 56. graduum. La-

landia in longitud.36.grad.30.mi. lat.56.gra. 25.mi. Falster insula sub long.36.gra.45.mi.latitudine verò 56. grad. 15. mi. Atque hæ postremæ propè iunguntur sibi inuicē. Hinc longius in Ortum Olandia est vicina continenti Scandiæ sub longitudine grad.43.mi. 30.latit. 56.grad.30.mi. Deinceps in ortum est Gottua insula sub longitud.46.grad. 40.mi. latitud. verò 57.fere graduum. Sunt & aliæ minores quas breuitatis gratia omisimus. Mare ipsum in quo sitæ sunt prædictæ insulæ, veteribus Sarmaticum, Neotericis Pontus sabulosus dicitur.

CAPVT SEPTIMVM.

De Rhætia & Vindelicia.

Rhætia (vt ait Volaterranus autoritate Trogi) à Rhæto duce Hetruscorum dicta, qui expulsi à Gallis in proximis Alpibus consedere, ob occasu Heluetiis seiunctis ab ea monte Adula, qui ab Alpibus in Boream extenditur, deinde linea quæ coniungit capita duorum amnium Rheni & Danubij: A septentrione Danubio vsque in gra. lon.32.la. 47.& 10.minutorum: Ab ortu Lico fluuio, cuius finis australior gradus habet.34.la.45.15. Ab austro alpibus finitur. Hæc olim tempore Augusti iura cum Vindelicia & Norico à Romanis

manis possidebatur per quingentos penè annos. Nunc verò Sueui maximã partẽ occupant, & Alpiũ incolæ, Cuius etiam pars est Algoia siue
Algauia. *Algauia, & Brisgoia proxima Alpibus. Vindelicia ab occasu Rhætiã habet, à septentrione Danubiũ vsq; in gra. lon. 34. vbi Ænus flu. ex Danubio in meridiẽ vergit Noricũ à Vindelicia disterminãs iuxta oriẽtale latus, meridionale latus alpibus terminatur, Huius nũc partẽ maiorẽ incolunt Bauari, vnde & regio Bauaria dicitur. Ptolomæus Boios appellat. partem quoq; aliquã Sueui obtinent. Sequitur Noricũ inter Ænũ fluuiũ & Cetiũ montẽ qui ab Alpibus in Septentrionẽ longè protenditur, ab Arctis Danubio terminatur. ab Austro verò Alpibus & Carauãca monte. Huius quoq; incolæ occidentaliores Bauari sunt, Regio non æque vini ac frumẽti ferax. sub lon. 36. gra. 30. mi. lat. 47. ferè graduũ. Ab hac inter alpes Tyrolensiũ regio cõtra magis vini q̃ frumẽti ferax.*
Pannonia. *Pãnonias duas descripsit Pto. Superiorẽ ac inferiorem, Illa ab occasu Norico: à septentrione Danubio: ab ortu Pãnonia inferiori clauditur: quæ ab eadem distinguitur, linea quæ per 41. gradus longitudinis à Danubio ad montem Bebium ducitur: Mons autem hic Bebius ab alpibus versus Græciam procedit. Hæc eadem*

est

est quam nunc Austriam dicimus, regio non inamœna: fontium, piscium, ac lignorum copia nobilitata, sub grad. long. 30. lat. 47. Pars deinde quæ alpibus coniuncta est Stiria dicitur, regio ferri diues atq; etiam argenti fodinis non penitus orbata. Ab hac verò plus in occasum vltra Cetium montem Carinthia est & Forum Iulij ducatus, regiunculæ eò quòd alpibus proximæ sint aquosæ: niues enim quæ inter alpes copiosissimæ sunt, cum calore solis resoluuntur, aquæ magnam vim in has regiones mittunt. Pannonia inferior ab occasu præscripta linea disterminatur, à septentrione & ortu Danubij parte, deinde Bebij montanis. dicitur nunc ferè tota Hungaria, ab Hunnis qui æstum maris fugientes ex Sarmatia Europæ, huc aduentasse feruntur: eius regionis rex inclitus Ferdinandus quinti Caroli Imperatoris frater & Christianæ fidei propugnator & Athleta strennuissimus, continuè sumptibus ac laboribus inenarrabilibus bellum gerit aduersus Turcos, qui tantis viribus in has regiones irruunt, vt ægrè resisti possit, imò totam hanc regionem ferè vastam nostro æuo red diderunt cum magna copia vsque ad Viennã vrbem nobilem Austriæ, nostro magno timore & accolarum destructione miseranda peruenerant,

Austria. Stiria. Carinthia. Forũ Iulij. Hungaria.

rant, vnde tamen Dei auxilio & Christianorũ præclara & memoratu digna victoria profligati sunt. Huius demũ Pannoniæ pars quæ Dalmatiæ coniungitur & montibus, Croatia regio dicitur. Dictæ autem iamiam regiones à Ptol. seorsum descriptæ nunc à nonnullis Germaniæ annumerantur, nam & germanica lingua vtũtur, & moribus non sunt dißimiles. Montes verò & Fluuij earum inter describendum enarrati sunt. Illyris vel Liburnia duobus iis ex æquo nominibus vocata, nunc vocatur Sclauonia, Ptolomæo etiam Dalmatia, quam Glareanus seorsum versus meridiem & ortũ describendã censet. Cingitur hæc ab occasu Histria, à septentrione vtraque Pannonia siue Austria & Hungaria, intercedente monte Bebio, qui deinde mutato nomine Sardonius à Ptolomæo dicitur, partemq; ortum aspicientem à Mysiã superiori diducit, reliquum latus mari Hadriatico aut supero alluitur. Populi sunt inculti & inertes, nisi quòd bello apti sint, qua in re no bis aduersus Turcorum impetum non paruo sunt adiumento. Dicti sunt olim Delmatæ à Delminio, quem Scipio Nasica Cons. deuicit, hinc Dalmatia: deinde Sclaui vel Sclaueni ex gente Scythica quæ Illyricũ occupauit, & hinc Sclauonia, sub est gra. long. 42. lat. 44.

Croatia.

Sclauonia. Dalmatia.

Nominis ratio.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Italia, & Insulis vicinis

Italia cũ omniũ regionum celeberrima, tum etiã fertilitate soli nulli posthabenda, cingitur ab occidẽte mari thyrreno, quod etiã inferũ dicitur, à septẽtrione alpiũ iugis, ab ortu mari Hadriatico Veneto vel Supero, reliquã verò partẽ Ioniũ mare & Lybicũ alluũt. Strabo eã tybiæ demortui hoĩs, Pli. querno folio adsimilat. Dicta autẽ est ab Italo rege. Gel. lib. 11. ex Tymæo. et M. Varrone dicit à græco vocabulo ἰταλοὶ *quod boues significat dictã esse, quorum ibi copia fuit. Trogus Saturniã appellat, Liuius Ausoniã. Dyonisius œnotriam, demũ Ver. Hesperiã magnam in differentiã Hesperiæ. i. Hispaniæ. Pars eius alpibus proxima Gallia cisalpina & togata dicta fuit, cũ altera Gallia Transalpina & Brachata diceretur, nũc Longobardia dicitur, regio fluminibus & lacubus innumeris exornata, huic attinet etiam regiuncula Venetia & Teruisa apud sinũ Hadriaticum. Populi Taurini Cenomanni & Insubri secundũ Ptol. Regionis mediũ est sub gra. long. 31. mi. 30. la. 44. & 30. minutorum. Sequitur in Isthmo Italiæ Flaminea regio quæ & Romandiola & Emilia & Liguria dicta fuit, alij partem Longobardiæ faciunt sub gra. long. 32.* Longobardia.

& semis, la. 43. & semis. In medio verò Italiæ Tuscia regio & Latiū cuius est Roma, populi Aborigenes, Rutili, Volsci, Hernici, Equi.
Tuscia. *Tuscia eadē & Hetruria dicta fuit, regio omniū rerū fertilis ferè quæ ad vitam necessariæ sunt, habet gradus lon. 35. la. 42. & semis. Item*
Vmbria. *Vmbria cuius gentes Vmbri & Sabini propius ad sinū Hadriaticū vltra Apenninū mon-*
Spoletani. *tem sitæ sunt, vocatur nunc Ducatus Spoletanus sub gra. lō. 36. la. 43. Picenū Marchia Fir-*
Anconitana. *miana nunc Anconitana sub gra. lon. 36. & se-*
Campania *mis. la. 43. graduum. Campania Latium sequitur sub grad. long. 30. mi. 40. la. 41. dicitur nūc Terra laboris, regio vt omnis Italia multarū*
Apulia. *rerum fertilis. In extremo Italiæ Apulia regio & Aprutium vbi Ptol. Ætolos descripsit, regiones auri, argenti, frugū, vini, oleiq́ ditissimæ, sub grad. long. 41. & triente la. 40. Deinde*
Calabria. *Calabria Fauonios & Siciliā respiciens sub lō. 40. gra. & semis, la. 39. et semis. Demum vt semel finiam tota Italia adeò est vrbibus consita, tam est cœli tēperie prædita & frugifera, vt facile omnem Europæ prouinciam superet. Mō-*
Montes. *tes Italiæ præcipui hi sunt: Primū Apenninus ab Alpibus exorsus totam Italiā dirimit perinde atq́ spina tergum hominis, hinc omnes alij*
Garganus. *oriuntur quorū est Garganus in Apulia diui Micha-*

Michaëlis miraculo celebris. Vesuuius mons igniuomus Campaniæ. Eiusdem est Phalernus mons vini fertilitate celebris. Fluuij & si multi sunt non tamen adeò celebres. Præcipui sunt Tyberis flu. ex Apennino per Romam in mare Thyrrenum decurrens. Padus siue Eridanus ex alpibus tribus hostiis in sinum Hadriaticum egreditur, Italiæ etiam attinet Istria aut tantum vna pars, reliqua Sclauoniæ tribuitur: lingua vtuntur Italica, Habet hæc ab occidente Galliæ Cisalpinæ partem, à septentrione Rhætiam, ab ortu Illyridem siue Dalmatiam, deinde mare Hadriaticum, sub gra. lõ. 37. la. 45. & triente. Phalernus. Istria.

CAPVT NONVM.

De Sicilia, Corsica, Sardinia &c.

Adiacet Italiæ à sinistris si arctos aspicias insula Sicilia nobilis à fertilitate soli, & monte Ætna memorabilis qui perpetuis flagrat ignibus, Habet autem ab occasu Thyrrenum mare & à septentrione, ab ortu Ionium & Italiam, deinde mare africum. Dicta fuit Sicilia à Sicanis Hispaniæ populis qui ferè primi eam incoluêre, & adhuc partẽ, quæ occidentem respicit, incolũt, Habet autem tria promontoria autoribus trita, & hinc Trinacria fuit dicta, appellantur hoc modo. Pelorus Ætna. Nominis origo.

Italiam & septentrionē aspicit, Lelibæū occasum, Pachynus Græciam, vnde quidam naues ex Carthaginensiū portu prodeuntes videre potuisse fertur. Æolus. Hic regem egit Æolus qui ventorū deus habitus fuit. Cyrnos à Græcis dicta Latinis Corsica. Corsica, sub gra. lon. 31. la. 40. & 40. mi. insula vini fertilis, agrorumq́ fertilitate prædita. Sardinia. Sardinia sub Corsica versus Africam, agrorū fœcunditate ipsa Corsica beatior, habet gra. lon. 31. la. 38. Hæc quia plantam humani pedis Ichnusa. ferè refert Ichnusa dicta fuit, ἴχνος enim vestigiū significat, In stricto mari quod inter hāc & Corsicam interfluit insulæ sunt paruæ cuniculariæ à Plinio dictæ. Ab hac Sardinia profectum est adagium Sardonicus risus. Herbā enim quandam profert lappæ similem qua vescentes ridendo emoriuntur. Sunt etiam in sinu Hadriatico plures insulæ quarum præcipuæ sic dicuntur: Tragurium, Arba, Pharus, Pharus. vel Parus, aut Pharia Ptolomæo circa gradus lon. 36. & min. 30. la. 44. & semis, Deinde Lissa Lissa. vsq; ad nostra tempora sic dicta, Item Chissa secundum alios Gissa, quæ nunc putatur Pago Meliten. dici sub lon. 38. la. 44. Meliten quæ apud Pto. Meligina vnde canes Melitei, hodie Maltha, sub lon. 40. grad. mi. 40. la. 43. & semis. Apsorrus quæ nūc Querle videtur, sub lon. 42. & la. 42.

la.42. Absyrtides insulæ paruæ sub lon.43.la. Absyrtides
41. Portunaca quæ & Vigilia sub lon.44.la.
41.& 20.minutorum.

CAPVT DECIMVM.

De Dacia, Iazygibus, & Mysiis.

IAzyges metanastæ quorum regio hodie Septem castra dicuntur, inter Danubium occiduum & Tibiscum orientalem & inter Sarmaticos montes continetur, Carpato monte au strelior, nunc Germaniæ adiicitur, in gra.lon. 45.& 30.mi.la.48. Dacia sequitur orientale latus Iazygium post Tibiscum flu. Regio ingens & vasta cuius gentes Pto. Bastarnas & Getas dicit, Pli. eas à Romanis Dacos, à Græcis Getas appellari autor est: alij Dacos occiduos esse Getas orientalẽ plagam incolere contendũt, dicitur nunc Vualachia, sub lon.51.la. 48.& Transyluania, sub lon.50.grad. la.49. ferè. Cingitur autem Dacia ab occasu Iazygibus & Tibisco fluuio. A septentrione Sarmatia Europæ, Ab ortu Danubio, qui hinc Ister dicitur & sex hostiis in pontum Euxinũ exit. A meridie rursus Danubio. Mysia duplex est, Inferior quæ nunc Bulgariam, Bosinam, & Rasciam regiunculas complectitur, septentrionalior est superiori. Ab occidente habet Vualachiam, Ab ortu pontum Euxinum, A

Septem castra. Tibiscus. Vualachia. Transyluania. Bulgaria Bosina.

septentrione Sarmatiam, deinde Thraciam. Moësiam dici contendit Volaterranus, eam verò quæ est in Asia Mysiam, medium huius regionis habet gra. lon. 55. la. 47. Ptolo. has adsignat nationes Bulensios, Epiarensios, Triballos, Troglodytas, Peucinos inter hostia Danubij, qui hic Ister (vt diximus) vocatur, his autē ostiis obiecta est Peucen insula. Mysia. *Mysia superior à septentrione Danubio & Dacia, ab occasu Dalmatia, ab aduersa parte Thracia, deinde Macedonia clauditur. Eius gentes Ptol. lib. 3. enumerat, qui sunt Tryconesij, Pycensij, & Darsani, nunc partim Bossina dicitur, & Zeruia: partemq; Rasciæ complectitur. sita est sub lon. 47. graduum & semissis, la. 44. ferè.* Bossina Zeruia

CAPVT XI.

De Thracia & reliquis Greciȩ partibus.

THracia nunc Græciæ portio, quæ & Sython dicta fertur, circūscribitur hoc modo. Ab arctus Istro flu. & Mysia inferiori, ab occasu Mysia superiori, ab ortu solis ponto & Propontide, à meridie mari Ægeo. Eius gentes sunt pugnaces & feritate præditæ, dictæ Bessi, Odones, Odrysij, & Bryges, qui deinde transeuntes in Asiam Phryges dicti sunt. Mōtes habet insigniores, Ænum & Rhodopen, hi nostris dicuntur Cathena mūdi. Flumina sunt Cathena mundi mons.

Nesus

Nesus & Hebrus in mare Ægæum: Bythinus & Athyra in propontidem sese exonerantes. Medium regionis habet gradus lon. 54. la. 42. & semis. Adhæret Thraciæ pars quæ proprie Chersonesus dicitur, in qua est vrbs Sestus & Calipolis. Macedonia in medio duorum marium, Ionij ab occasu, & Ægæi ab ortu continetur. Latus autem septentrionale, partes Dalmatiæ, Mysiæ superioris, & Thraciæ terminant: Reliquum Epirus & Achaia. Pars eius quæ inter montes Camelæos & mare Ionium clauditur Albania dicitur, cuius est Dirrachium emporium nobile. Sequuntur hinc versus ortum Orestæ populi. Annumerant alij plures harum regionum prouincias, vt Pelasgiam, Æmathiam siue Pharsaliam, quarum Lucanus sæpe mentionem facit, nam hic ferè conseruere manus Pompeius & C. Cæsar. Item Calcidicam, Pieriam Stimphaliam Ptolo. & alias incerta ferè designatione. Volaterranus Edones pop. adsignat ad partem orientalem statim à Thracia, vnde sinus Edonicus nomen habet. Idē Peones adsignat mediterraneos. Omnia autem hæc sub Græcia continentur nunc Turchia: Regiones sanè non infælices, auri enim argentiq; venas habent. Suntque multum autoribus decantatæ. Medium earum est sub

Fluuii. Chersonesus. Albania Dirrachiū. Æmathia.

H 4 gra-

Thessalia. *gra.lon.47.30.la.40. Thessalia apud Pto. sub Macedonia continetur, ab aliis tamen sigillatim describitur. Est igitur pars Macedoniæ vel Græciæ, proxima Epiro & Achaiæ, undiq; ferè montibus theatrali (ut ait Pli.) modo instæ xis cincta. Ab oriente Pelion & Ossam poëtis celebratos habet mõtes. Ab aquilone Olympũ, ab occidente Pindũ: ex quo Peneus amnis mediam secans regionem, præter Ossam in Ægæũ mare prolabitur. Deucalion Pyrrheam appellauit, ut ait Strabo: Hemon verò Hemoniam, Eius filius Thessalus Thessaliam. Huius est Emonia regio & ciuitas: Itẽ Æthices gẽs, Demetrias regio ab euictore dicta, Dolopes à Mercurij filio, Lapithæ populi, Myniæ, Malienses, Pelasgi, Æstioti &c.* Montes. *Montes Macedoniæ præclariores, quibus ferè tota cingitur, atque ob id crebris laborat terræmotibus, sunt Candauiæ vel Camelæi ab occasu: Bertiscus Ptolomæo, à parte Thraciæ. Cittarius qui à montibus Achaiæ in septentrionem assurgit. Athos mons in promontorio maris Ægæi. Mediterranei verò, Olympus mons altissimus, & Pelion. Item Pindus, iuxta Epyrum cum Othry: qui Lapitharum sedes fuêre* Pieris. *ut ait Plin. lib.4. Sunt item Ossa, & Pieris, et Oëtha, unde Sperchius flu. inter Macedoniã & Acha-*

& Achaiam transiens, in mare Ægeum exit. Sunt præterea fluuij Strimon, Axius Erigonon, Demum Peneus amnis, hic (vt ait Pli.) ortus iuxta Gomphos, interq; Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens. 50. stadiis dimidio eius spatio nauigabilis, deinde in sinum Thermaicum egreditur. Hæc est illa Macedonia (vt idem Pli.) terrarũ imperio potita quondam: hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum transgressa: hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possesso: hæc etiã Indiæ victrix, per vestigia Liberi patris, atq; Herculis vagata: hæc eadem est Macedonia, cuius vno die Paulus Æmilius imperator noster. 72. vrbes direptas vendidit. Fluuij.

CAPVT XII.

De Epiro, Achaia, & Peloponneso.

EPiri termini sunt, Albania & Thessalia descriptæ ab aquilone, mare Ionicum ab occasu, linea verò à monte Oetha ascẽdens ad ostiũ Acheloi fluuij ab ortu, reliquum latus mari circũscribitur Ionio. Regiones eius particulares sunt Chaonia montana apud Ionium pelagus: Thesprota mediterranea: deinde Cassiopeia & Acarnania versus Achaiam, Gentes sunt Dolopes, Tymphæi, Amynæi,

Amphilochi, Casiopi, Molossi, vnde tota Epirotarum regio Molossa: Item Amyctæ, Argyriui, & Chauni apud montem Oetham: vnde
Montes *Achelous fluuius originẽ sumit. Montes Epiri, Acroceraunia ab Ionio pelago imminentia: Pindus à parte Thessaliæ: Leucathes vel Acti*
Fluuij *um promontorium versus peninsulam. Fluuij, Achelous qui ex monte Pindo in mare Hadriaticum descendit: Acheron versus Corcyram insulam incedit: Aractus inter duos transit.*
Achaia. *Achaiam describit Pto. lib. 3. cap. 15. habere ab occasu Epirum, ab aquilone Macedoniam secundum limites præsc. ab ortu autem partem Ægæi maris, à meridie mare Hadriaticũ, deinde Histmum & mare Creticum, Pars Græciæ est, nunc Turciæ attinet: Regiones eius par*
Ætolia *ticulares sunt. Ætolia ab Ætolo Endymionis filio, hæc sita est apud Acarnaniam interceden te Acheloo fluuio, huius Ætoliæ gẽtes Ephyri, Ænienses, Dolopes, Atraces. A quibus Atrax amnis Ionio mari infunditur. Sub Achaia eti*
Locris *am Pto. comprehendit Locros vel Locrenses, quorum regio Locris: idem Ozolæ vel Epicnemidij cognominati sunt: siti apud sinum Corinthiacum, cuius est Castalius fons, amnis Cephissus, oppidum liberum Delphi. Post Locrẽses ad*
Phocis *ortum adiacent Phocenses & Phocis regio: &*

Dryo-

Dryopes iuxta Parnassum montem. Bœotia in medio Achaiæ, Doris. Postea Megaris & Megareses in prouerbiis triti: huius situs est ab Isthmo ad ortum. Extremum autẽ Achaiæ versus ortũ occupat Attica, in qua Athenæ vrbs præclara. Mõtes Achaiæ Callidromus, qui deinde Corax. Parnasus mõs biceps vt testatur Persi. Citheron musarũ habitatio, vbi Orpheus cantare solebat. Fluuij, Euenus flu. ex Callidromo ortus versus ortum Cephissi nomẽ accipit: Hic idem ab iisdẽ mõtibus ortus, cũ Asopo & Ismeno flu. in mare Ægæum delabitur. Peloponnesus, Apia, Pelasgia, Danaa, & peninsula appellata nũc Morea dicitur: haud vlli terræ nobilitate postferẽda, inter duo maria Ionium et ægæũ cõtenta, angusta ceruice Achaiæ cõnexa, duobus vtrinq; sinub. quorũ occiduus Corinthiacus, oppositus Saronicus. Regiones cõtinet multas quæ sunt. Corĩthia statim ab Isthmo, in qua Corinthus, Ephyra siue Heliopolis ciuitas nobilis, vnde prouerbiũ: Nõ cuiuis homini contingit adire Corinthum: & κορινθιάζειν, lasciuire. Deinde Sicyonia regio inter Corinthum & Achaiam proprie, proxime sequentẽ in eadem peninsula: in hac multæ oleæ. Mesenia verò ad occasum solis & meridiem peninsulæ vergit: Supra quam Helida, Helis vel Hellas regio.

Megaris. Attica. Montes. Fluuij. Morea. Corinthia. Sicyonia Mesenia. Hellas.

In

Arcadia. *In medio verò peninsulæ Arcadia, ab Arcade Iouis filio dicta: eadem & Parrhasia, Lycaonia, Azania, Pania, & Pelasgia appellata fuit: Regio montuosa, & quæ asinos præstantes mittit. Post hanc versus ortum solis & meridiē*

Lacedæmonia Argia *Laconica vel Lacedæmonia. In ipso autē Istmo Argia, vnde Argiui & Argi: hæc etiam Doricum Hippium et Dixium appellata fuit.*

Montes *Montes Peloponnesi Pholoë, Stymphalus, Minoë, Taygeta: qui ab Aquilone per occasum in austrum tendunt, imitando literam C, ab altera parte scilicet orientis Cronicus mons, & Zarex.*

Fluuii *Fluuij, Asopus, in sinum Corinthiacum ex Cronio profluens. Syos, ex phole in eundem sinum. Aphæus amnis per mediam peninsulam in mare Ionium, interim congressus cum Paniso flu. qui idem in austrum digreditur. Postremo Inachus flu. cuius fons in Stymphalo monte, ostium ad mare Creticum.*

CAP. XIII.

De Insulis maris Ionii, & Ægæi.

Primum ab Ionio pelago incipiemus, in quo apud Epyrum Corcyra insula, nunc

Corfuniū. *Corfunium: sedes Pheacium ad quos Vlysses naufragium passus, appulit. habet grad. lon. 45.36. la. 37.45. Cephalenia, quondam Melena, apud sinum Ambratium. lon. 47.40. la. 37.*

Eri-

Ericusa, sub gra. lon. 46. 40. la. 38. Echinades, ab Echinorũ copia; apud sinum Ambratium, lon. 48. 10. la. 37. 15. Ab hac versus austrũ parua insula Ithaca, in qua mons Nerithus. Zazynthus, à Dardani filio Zazyntho, hæc etiam Hyriæ, sub gra. lon. 47. mi. 30. la. 36. 30. Apud hanc parua insula Letoia versus occasum.

Apud Peloponnesum Strophades duæ ab aliis Plotæ dictæ, sub lon. 47. 30. lati. 36. Spasia vel Spagia (vt habet Plinius) sub lon. 48. lat. 35. Cythera antea Porphyris, sub longi. 50. la. 34. 40. Ægina antea Oenone sedes Myrmidonum in sinu Megarico, sub gra. lon. 2. mi. 20. lat. 36. mi. 45. Ab hac versus austrum parua insula Salacis. Hic obiter notandum volo, quod in adsignatione longitudinis & latitudinis regionum, primus numerus significat longitudinem, alter latitudinem: Si verò prior duplex reperiatur, prior pars gradus, altera minuta valebit, si verò vnicus in priori ordine sit numerus, gradus significare certum est. Similis est ratio de posteriori ordine siue latitudine. Sequuntur nunc insulæ maris Ægæi, quarũ maxima Creta quæ nunc Candia dicitur terminatur à septentrione Cretico mari, à meridie Punico, ab ortu Carpathico, Extensa in longum. 270000. pass. Habet multas præclarasq́ ciuitates. 100. enim vrbium Candia.

bium

bium clara fertur, hinc ἑκατόμπολις dicta fuit ab Homero, Mittit vinum optimum: Habet montes insigniores Idaeum vel Idam, Leucos, Cadiscum, Dictam vel Dictaeum. Fluuios Masaliam, Helectram, Lithaeum, & Pycnum. Medium insulae est sub longitu.54.latitud.34.45

Montes

Cretae adiacent insulae plures: Claudos ab occasu, longit.52.30.la.34. Latoa versus austrum, longitud.54.30.latitudinis.34.30. Dia insula ab Arctos Plinius Driam vocat, longitud.54.30.latitu.35.40. Cimolis insula ad orientem solem, longitu.55.30.latit.34.30. Melos non longe à Dia sub longitu.54.la.35.30. Quae apud Achaiam describũtur. Euboea insula satis magna, plus tamen in longum quàm in latum protensa: Hodie Negropontus dicitur, Turcorumq; imperio subest. Habet autem gra.longi. 53.40.latit.38.15. In ea aquae calidae reperiuntur Hellopiae dictae. Ab hac versus Cretam & Achaiam, Thera sub lon.54.latit.36.25. Plus ad Arctos Cia & Chy insulae non longo distantes interstitio sub grad.lon.54.25. lati.37. Therasia sub lon.54.45.lat.36.18. Sequuntur dehinc plures insulae in orbem collatae, vnde nomen traxere Cyclades, quarũ praecipuae hae sunt. Delos à mercatu & templo Apollinis celebrata, omniumq; Cycladum longe nobilissima, vbi

Negropontus.

Cyclades.

primum

primum ignem repertum esse autor est Plin. Olearos, quæ primo Pactia, postea Minoida appellata, marmore clara. Cythnos, Rhena, Myconos cum monte Dimasto: Item Andros, Tenos, quæ propter aquæ copiam Hydrusa dicta fuit, Scyros, Paros, Subium, Syphnus ante Meropia, Naxos. harum omnium medium est sub gra.lon.55.la.36.8. Sequũtur hinc versus Thraciam Sporades sic dictæ, quòd in mari sint sparsæ. Sunt autem Helena, Phocusa, Hecaria, Schinusa, Pholegandros & Naxo, circa grad. lõ.56.la.37.& semissis. Adiacet Thraciæ Lemnos insula Vulcani fabulis clara, & cuius fœminæ vna nocte facta conspiratione omnes maritos à bello reuersos occiderunt, habet grad.lon. 52.30.la.41. Ab hac versus Achaiam Sciathos sub longitu.52.10.la.39.15. Peparuetos insula & ciuitas, lon.52.30.latitu.39.30. Scopelos habet lon.52.30.la.39.20. Demum Scyros insula sub lon.54.la.39. Plures sunt in hoc mari paruæ insulæ, quas tum ob multitudinẽ omisimus, tum etiam quia non multis autoribus decantatæ sint. Partem tamen in Asiæ descriptione enumerabimus. Huc vsq; de Europæ descriptione, nunc de Aphrica. Sporades. Lemnos.

CAP.

CAP. XIIII.

De Aphrica.

Aphrica quasi sine frigore (φρίκη enim frigus significat) dicta putatur: apud alios Africa scribitur, à Græcis Lybia & Hesperia appellata fuit: Ea freto Herculeo, & linea à mari rubro in mare mediterraneum extensa, ab Europa & Asia diducitur. Reliqua pars omnis oceano alluitur. Diuiditur primũ in Mauritaniam, quæ ab occiduo mari, & mediterraneo incipiens, in duplicẽ diuiditur Mauritaniam, Tingitanam scilicet, & Cæsariensem. Mauritania Tingitana ab occasu oceano clauditur, à septẽtrione mediterraneo mari, ab oriente Malua flu. à meridie Atlante maiori monte: huius populi quondam fuere Masices iuxta columnas Herculis, deinde Cauni, Marensij, & Herpesigani. Nunc regnum Fessæ continet, & Fessam vrbem, iuxta gradus longitu. 7. gra. latitud. 34. & semissis: in hac est Abyla mons, vna de columnis Herculis quam Hispani Simicam appellauerunt, eo quòd simiarum copia circa hunc locum reperiatur. Altera est Mauritania Cæsariensis, quæ ab ortu Ampsaga flu. terminatur, à meridie Atlante monte. Sumpsit nomen à Cæsarea ciuitate, sicut & illa à Tingi dicta fuit. Eius gẽtes sunt Taladusij, Nacbus

Mauritania.

Fessa.

Simica.

Nachbusij, Aquensij, Myceni, Metagonitæ, Socoßij, Volibiliani, Durdi: Omnes autē harum regionū incolæ, Barbari, & ipsæ regiones Barbaria dicuntur. Aphrica minor deinde sequitur post Ampsagam fluuium, vsque ad Cyrenes extensa. Huius ea pars quæ proxima Mauritaniæ est Numidia dicitur, Maßinissæ clara nomine. Numidarum autem ortum scribit Salustius ex Persis esse & Medis, de quibus postea sermo erit. Numidæ verò Nomades appellati fuerunt, eo quòd huc illucq; mapalia sua plaustris circumuehentes oberrarēt. Reliquæ Aphricæ gentes sunt Maßyli & regio Maßylia, quæ equos præstantes mittit: deinde Lotophagi, qui Loto genere arboris victitāt quod fructus fert fabæ magnitudine, crocei coloris, soporisq; tam delectabilis, vt aduenis obliuionem patriæ inducere, fama sit: horum situs est apud Syrtim minorem. Sunt præterea Syrtesij, Iontij, Medemi, Nictij, Eleones, Misulani, Nattabutæ: Versus interiora Saburbures, Bazacites, Zetæ, Mimaces, Astacures, Eropæi, Dolopes, Nycpij, Macæ, Sigiplosi. Nihil harum regionum insigne, præter marmoris Numidici ferarūmq; prouentum, præterea circa Bizantium terra tātæ est fertilitatis, vt agricolis cum centesima fruge fœnus reddat: Libyphœnices vo-

Barbaria

Aphrica.

Numidia.

Maßylia.

cantur qui hanc partem incolunt. Sequitur ad orientem post Syrtim maiorem Cyrenaica vel Cyrene versus Marmaricam & Ægyptum, dicta etiam Pentapolitana à numero ciuitatum. In hac sunt horti Hesperidum, aurea poma ferentes: Fons solis versus Marmarides, quē nocte calidum, interdiu frigidum ferunt. Populi eius Barcitæ, Ararauceles, Asbytæ, Macautæ: deinde versus austrum inter montana Silphio phòra regio, hoc est, Balsamum ferens. Psylli, quibus naturale robur aduersus serpentes inditum est.

Cyrene.

Fons solis.

CAPVT XV.

De Marmarica & ægypto.

Marmaricam Libyæ cum Ægypto Pto. simul indistinctéq; describit: Illa tamen occidentalior est magisq; ad Cyrenen & mare Punicum attinet, diciturq; à Pli. Libya Mareotis: Ægyptus verò ad sinum vsque Arabicum & montana Æthiopiæ. Marmaricæ autē populi apud Pto. quos nomos, hoc est, præturas appellat, hij sunt: Libyarchæ, Aniritæ, Bassacithæ, Apotamitæ.i.penuria aquarū laborantes, Augilæ versus Libyā interiorem, Ammoniaca regio circa gra.lon.55.mi.20.la. 28. Nasamones quos Plin. prius Mesamones, hoc est, inter harenas medios dictos ait: Anachisæ,

thisæ, Tapanitæ, Æzari, Zigritæ, Chatani, Ogdeni. Sequuntur Adimaschiduæ, Iobachi, Ruditæ, Prosoditæ: demum Sciatica regio proxima Ægypto. Deinde sequitur Ægyptus regio diuisa in duas præcipuas partes Inferiorẽ & Superiorem. Inferior proxima oceano inter Nili brachia findete se Nilo ita vt triquetram terræ figuram efficiat Delta dicitur, ob similitũdinem literæ græcæ Δ, atque hæc à nonnullis inter insulas reputatur: Superior Ægyptus cui à meridie Æthiopum regio prætenditur Thebais dicitur, in qua Thebæ centum portis nobilitata vrbs. Mediam verò Ægyptum Nilus fluit percurrit, qui ex montibus Lunæ (vt putatur) ortus per Æthiopum regionem interim sese ad spatium aliquod condens, dedignatus scilicet fluere per harenosa & squalentia, aliquandò etiam in duas sese diffindens partes, insulas vastas efficit: & tandem compositis fluctibus placidoq; cursu per mediam Ægyptum in mare mediterraneum. 7. ostiis egreditur. Hic singulis annis stato tempore per totam spaciatur Ægyptum, & sua inundatione terram fœcundam reddit, & interdum ad. 18. cubitus sese extollit. Sunt qui ortum in Mauritania putent, eo quòd decidente pluuiæ copia apud Mauros, tum Nilus plurimum augeatur.

Ægyptus

Nilus

Populi autem Ægypti sunt Goniatæ, Prosodi tæ, Scythiaca regio Mastitæ, Nitriatæ, Oasitæ. Item Libyæ Ægyptij. Extremum verò eius et Marmaricæ est Diammos & Abrochos regiones, quibus ferè Tropicus Cancri per verticis punctum transit. Oram deniq; sinus Arabici incolunt Arabes Ægyptij: Australiores iis Ichthiophagi. Montes Mauritaniæ sunt iam à nobis enarrati, quos diximus esse Atlantem maiorem, qui eam à Getulia distinguit: hunc noctibus micare crebris ignibus ferunt, & fistularũ tibiarumq; cantu impleri, & tympanorum sonitu resonare, adeoque in altum erigi vt orbem

Atlas. *Lunæ contingere videatur. Est item Atlas minor in Mauritania Tingitana, & mare quod*

Montes. *hos montes alluit Atlanticum vocatur. Durdus mons mediam ferè Mauritaniam Tingitanam diuidit. Byrinus mons Cæsariensi Mauritaniæ adiacet ex Atlante ortus. Sequũtur deinde Libyci montes qui Ægyptum à Marmarica disterminant. Item Climax mons & Ana*

Fluuij. *gombra. Fluuij harum regionũ multi sunt Sala flu. ex Durdo monte ortus per Mauritaniã in Herculeum fretum exit. Malua flu. in eodem monte ortus in idem mare se exonerat, Mauritaniam Tangitanam à Cæsariensi diuidens. Sanus flu. ex Atlante ortus versus Iu-*

liam

liam Cæsaream insulam defluit. Mulus ex Atlante, vbi Cinnaba dicitur, versus sinum Numidicum. Sequitur versus ortũ Ampsaga fluuius, cuius fons in Busara monte, qui ex Atlante oritur, ostium in sinu Numidico. Postea est Rubricatus flu. In Cyrenaica regione Lacenus flu. qui Paliurum lacum efficit ingẽtem, in quo piscium magna copia: In Marmarica deinde ingẽtes reperiuntur paludes, Lycomedis palus, Mœridis lacus, fons solis de quo diximus. Lacis palus iuxta Anagombrum montem.

CAPVT XVI.

De Lybia interiori & Æthiopum regionibus.

S*Vper has quas diximus regiones, Lybia interior describitur ingens et vasta, in qua solitudines montesq́ plures occurrunt, vario genere animantium impleta. In primis à Mauritania versus meridiem adest Getulia, cuius incolæ feri sunt & vagi, regioq́ aspera:* Getulia *Sequuntur qui Melanogetuli appellantur & Pharusij, qui per deserta vagantes vtres cum aquis secum deferunt. Nigritæ Æthiopes qui* Nigritæ *magnam partem Aphricæ occupant, atque ad littora oceani occidentalis extenduntur, versus austrum verò ad Nigritim vsque fluuium,*

cuius ea natura est quæ Nili, nam & eodem tempore augetur minuiturq́, eademq́ animalia gignit, vt crocodilos. Hunc puto eundem fluuium esse quem Lusitani Senegam vocant, nam & huiuscemodi naturæ est hic fluuius: Præterea mirum circa hunc fluuium referunt, ab vna parte accolas prolixæ esse staturæ nigrosq́, ab altera fuscos & breues. Sunt præterea Libyæ populi Garamantes, quorum fœminæ (vt fertur) cuiuis cõmunes sunt: nulla enim inter eos matrimonia contrahuntur, nullaq́ fides thori seruatur. Sequuntur Pyrei, Sathiodaphnitæ, Odrangi, Mimaces, Lynxamatæ, Dolopes, Aganginæ, Leucæ Æthiopes, Xilicæi Æthiopes, Calcæi Æthiopes, Nubi. Hi eum situm habent apud Ptolomæum quem nunc tribuunt regno Nubiæ. Hic Christianos nonnullos agere fama est sub ditione Presbyteri Ioannis. Ab his versus occasum Aphricerones sunt magna gens: quorum regio (quantum coniectura assequi datur) Regnum Orguene dicitur. Hinc ad occiduam plagã pauloq́ ad Aquilonem Regnũ Gambre, Item Budomel regnum, non longe à Senega fluuio. Versus interiora regionum Ginoia, vel Guinea. Hic promontorium est quod caput viride dicunt, ad quod primum iter dirigunt Portugalenses, vbi in Americam contendunt:

Senega. Garamãtes Nubia regnum. Orguene Gambre.

dunt: deinde hoc relicto, iter ad dextram versus Garbinum, hoc est inter occidentẽ & meridiem conuertunt. Harum regionũ littora iam satis lustrata sunt à Lusitanis: Incolæ verò penitus nudi incedunt, neq; contractus exercent. Restat Æthiopia describenda, quamuis & multi regionum dictarũ populi Æthiopum nomine appellandi veniant. Est autẽ duplex: Vna sub Ægypto regio ingens & diues: huius est Meroë insula inter Nili amplexus contenta: ei fœminas præfuisse ferunt. Ab hac versus ortum & Austrum Preto Ioannes quem & presbyterum Ioannem & papam Io. appellant longe lateq; extensum suũ habet imperiũ, vsq; ad littora maris Indici, & vltra Nilum quoq; protensum: Huius incolæ Christianos se profitentur. Habent tamen suos quosdã peculiares ritus. medium regionis ferè est in grad. longitud. 66. latitud. 12. Circa hanc regionem habitant Clodij, Rizophagi, Babylonij, Axiunitæ, & Mosyli, Molybæ. Post hos sequitur Troglodytica regio, cuius incolæ specus excauant: hæ illis domus: victus serpentium carnes, vt inquit Plinius, stridorq; non vox, adeo sermonis commercio carent. Blemines capite carentes oculos & os in pectore habere creduntur. Strutophagi, Gamphasantes nudi. Satyri, quibus præter

Æthiopia

Papa Ioannes.

formam nihil moris humani. Oripæi venatores, Mennones. Smyrnophora regio quæ myrrham profert. Deinde est Azania regio in qua plurimi sunt elephātes. Pars magna regno Me
Melinde. linde nunc tribuitur quod citra Æquatorem situm est. Incolæ contrahunt cum Arabiæ nationibus, regiq́ huius magna intercessit cum rege Lusitaniæ amicitia: redditq́ tributa presbytero Ioanni. Altera Æthiopia quæ interior dicitur, nondum ob sui magnitudinem nisi secundum littora in cognitionem venit. Describitur tamen hoc modo. In primis ab æquinoctiali versus austrum ingēs regio Æthiopum, in qua elephantes albi & rhinocerontes, & tygrides gignuntur. Cinamomifera regio inter Nili com-
Habaschia plexus. Habech regnum siue Habaschia christicolarum regio, vltra citraque Nilum locata. Ichthyophagi Æthiopes, quondam Alexandri magni armis deuicti. Antropophagi. Rhapsij
Gazatia. Æthiopes iuxta montes lunæ. Gazatia sub tro
Caput bonæ spei. pico Capricorni. Deinde est frons Aphricæ, caput bonæ spei, quod transcēdunt qui ab Hispania Callicutium nauigāt. Qualiter verò nomina promontoriorū et sinuū appellentur, cum id satis lucide ex nostro globo haberi possit, superfluum esse putamus hic recensere.

CAP.

CAP. XVII.

De insularum nomenclatura quæ circa Aphricam sunt.

Q*Væ in mari mediterraneo sunt : Iulia Cæsarea supra Mauros ad gradus lon.* 17.*mi.*30.*lati.*33.*mi.*40.*Supra Numidas, Hydras insu. habet grad.* 28. *latitudi.* 33. *Plus in ortum duæ, Calatha, Ægimius in gra.* 31.15.33.20. *Contra Aphricam minorem Dracontius.*33. 15.33.15. *Supra Siciliam, Glauconis.*37.20.34.40.*Melita.*38.45.34.40. *Cosyra.*37. 20.34.18. *Herculis templum.*38.45.34. 5. *Larunesiæ duæ.* 37.33.30. *Lopadusa.* 39.33. 20.*Æthusa.*39.30.33.15. *Cercinna deinde.*39. 32.15. *In Syrti minori, Lotophagitis.* 39.20. 31.18.*In Syrti maiori, Misynus, Pontia, Geamedium habet.*45.20.30.15. *In mari Punico: Myrmex.*48.40.31.50. *Læa Veneris insu.in gra.*50.12.31.55.*In mari Lybic. Ædonis insu.* 52.40. 31.50.*Tyndarij scopuli treis.*55.50.31. 30. *Ænesippa.*56.30.31.30. *Phocusæ duæ.* 56. 50. 31.15. *Pedonia.*58.30. 31.30. *Dydimæ duæ* 60.31.30. *Pharos habet long.*60.*minu.*20.*lat.* 32.*graduum.Quæ adiacent ad orientem solem, in sinu Arabico. Prima est Saspirena: deinde Aphrodita siue Veneris insula. Agathonis insula.*65.15.23.40.*Astarta.deinde Ara Palla-*

dis. Gypsites, Gomadeorum duæ in longit. gra. 67.30. lat. 19. Myronis insula: deinde Cathatræ duæ. Magorũ insu. 68. latit. 16. Acanthina, Daphnina. Macaria. 68.30. latitu. 14. Orneon australior. Bachi & Antibachi, Panis insula. Isidis orientalior. Diodori in gradi. 71. latitu. 12.30. Mõdi in sinu Analitico sub lon. 75. la. 8. 30. Quæ verò restant in sinu Arabico, in Arabiæ descriptione dicentur. Sequũtur insulæ quæ in mari Atlantico & occidentali oceano sunt. E regione Durdi mõtis qui in Mauritania est.

Madera. *Madera insula sic incolarũ lingua dicta, ꝙ lignis abundet: insula quæ nullo quo vita sustentatur humana indiget, sub longit. 359. ferè graduum latitudi. 20. Ab hac non longa dissidet*

Portus sanctus. *intercapedine, insula quæ Portus sanctus dicitur, sub lõg. 30. quasi minutorũ, lati. 20. & 40. mi. Sequuntur decem insulæ fortunatæ Atlantem aspicientes montem: etiam Canariæ dictæ,*

Canariæ. *ob ingentes canes, quorum ibi copia est. Pto. sex tantum adsignat & plus in austrum extendit. Quæ autem incoluntur sunt: Fracta lãcea, Magna sors, Grancanaria, Teneriffa, Gienera, Palma & Ferrum, Tanta est in his cœli temperies, vt bis in anno fruges maturescant, deinde habitationem amœnissimam præstant. Ex aduerso ferè capitis viridis sub la. 18. grad.*

magnus

magnus est numerus insularum, quibus non propria sunt noĩa, sed ab euẽtu indita. S. Anthonij. S. Vincentij. S. Luciæ. S. Iacobi & aliæ quæ cum nihil preciosi adferant, multum curãde non sunt. Præterea in sinu magno Aphricæ, tres sunt nuper inuentæ insulæ primum incultæ: Formosa, Principis, & S. Thomæ quæ sub Æquatore sita est: Iam ab aduenis Portugalensibus occupantur. Referũt in ea quæ S. Thomæ dicitur, eos qui nondum adoleuerint, & pueros natos nihil ferè crescere. Quæ verò versus ortum Aphricæ adiacent insulæ ignotæ ferè sunt, quales sunt S. Laurentij, quæ etiam Madagascar vocata putatur. Sancti spiritus, Mõfra, Myrsiaca, Mene, Amici, & reliquæ, quarum situs ex globo facillime haberi possunt. S.Thomæ.

CAPVT XVIII.

De Asia eiusq; partibus.

A*Sia tertia mundi pars & maxima nunc restat describenda, nudis tantum nominibus regionum & montium adsignatis. Est autẽ ab Europa Tanai fluuio, palude Mæotidis, Ponto, mariq; Ægæo: Ab Aphrica verò sinu Arabico, deinde linea quæ hinc in mare mediterraneũ ducitur, discreta. Nonnullis ab oceani filia Asia dici videtur: aliis à Promethei matre. Eius multæ sunt partes. Prima, post Europæ*

Europæ terminos occurrit Sarmatia Asiatica, quæ nunc sub Tartaria continetur, ab occasu Tanai fluuio, Mæotidis palude vsq; ad Cimmerium Bosphorum terminatur. A meridie mõtibus inde ad mare Hircanum: Ab ortu linea ex Rha fluuio ad arctos extensa: Reliquum latus terra incognita. Eius gentes in Septentrionali plaga sunt Hyperborei Sarmatæ, quorũ regio nunc partim Rußia alba dicitur, regio ingens, syluis consita in qua argenti pelliumq; preciosarum copia: Partim Moscouia, & gens magna sed inculta Moscouitarum, qui cũ Christianæ fidei sint professores, Pontificem tamen Romanum, Ecclesiamq; nostram aspernantur, seruant enĩ Græcorũ ritus. Proximi sunt Hippophagi, Perierbidi magnũ genus, Iaxamatæ, Chenides, Nesiotis regio ad ortum, Siracenij & Pseßij apud paludem Mæotidis, Apud montes Hippicos Amazonũ regio, cui olim mulieres præfuêre, bellumq; in vicinas nationes intenderunt, Tyrambæ, Arichi, versus Albaniam Zigi, Gerri, Conapseni, Mithrydatis regio. Post quam Melãchleni, Sapothremi, Scymnitæ, Suarni, Serij, Thusci, vbi Thurci legendum Erasmus censet: hincq; originem Thurcos sumpsisse contendit. Verum maxima pars huius Sarmatiæ à Tartaris occupatur potius quàm

Tartaria.
Rufsia alba.
Moscouia
Amazones.
Thurci.

quàm habitatur. Quorum studium omne ferè est vicinas nationes bello petere, ac aliena occupare. At domi pecora per stationes pascere. Sequuntur Olondæ, Vdæ, Bosphorani: Iuxta pontum, Achei, & Heniochi, Postremo Sanarei. Adnumerant alij Hunnos, & Rhombitanos. Montes harum regionum præcipui sunt Hippici & Cerauni in medio ferè: Corax contra Bosphorum situs, Caucasus sub Iberia & Albania ad mare Hircanum vsq. Fluuii, Tanais ex Ripheis montibus ortus in paludē Mæotidis decurrit: Rha maximus fluuius ex Hyperboreis montibus duobus in locis ortus in mare Hircanum: quanquam hodie paucißimi in his regionibus deprehendantur montes, ac potius Rha fluuius qui nunc Volga dicitur, tum etiam Tanais, ac ipse quoq. Boristhenes ex paludibus ac lacubus Moscouiæ siue Rußiæ albæ haud longè ab inuicem oriri conspiciūtur. Rhōbites ex Hippicis montibus in paludem Mæotidis.

Montes.

Fluuii. Tanais.

Rha.

Volga. Boristhenes.

CAPVT XIX.

De Ponto, Bithinia, Asia minori, Lycia, Pamphylia, & Cilicia.

Pontus regio Ouidii exilium, cum Bithynia exaduerso Thraciæ sitæ sunt, intercedente propontide ab occasu vsq. ad Olympum

pum

pum montem qui est in grad. lon.57.la.43.30. Deinde ab aquilone Ponto Euxino terminatur, ab ortu Galacia: deinde Asia proprie dicta. Eius regiones particulares sunt Chalcedonia, Timonitis, Bogdanis, apud propontidem. Populi qui multi & diuites sunt apud Galatiam & pontum Euxinum dicuntur, Mariandini, deinde Zigianæ. Montes Olympus sub Mysia: Horminius mons in grad.59.30. 42. 40. Fluuij. Sangarius mediam Bethyniam percurrens ex Dydimo monte in pontum Euxinum. Ascanius fluuius, qui Ascanium lacum efficit, Psyllus fluuius. Parthenius flu. cuius ostium propè limites Bithyniæ & Galatiæ.

Asia. Thurcia. *Asia minor vel Asia proprie dicta, nūc Thurcia appellatur vel Natolia. Limites eius occidentales, Hellespontus, deinde Ægeū, Icariū, & Myrtoum maria. Reliqua latera Galatiæ, Lyciæ, & Pamphyliæ confinia, in globo nostro suis lineis discernuntur. Multæ sunt huius & copiosæ regiones. Initio post Bithyniæ limites apud Hellespontū duæ Mysiæ: minor quæ occidentalior est & maior quæ orientalior. Intercedit autem Rhindacus fluuius. Inde versus austrum Phrygia, quæ & Troas: quam olim sub Æolia contentam fuisse, author est Volaterranus: & Troadas fuisse Æolas. Nonnulli dupli-*

Mysiæ. Phrygia.

duplicem distingunt Phrygiam, hanc minorẽ vocantes, maioremq́ inter Galatiã, Pãphyliam & Cappadociam locantes. Proxima est Doridis regio: Post quam Pentademitæ sunt: Hinc è regione Euboëæ insulæ, Lydia Mæoniæ. Supra hanc Ionia. Demum Caria ex aduerso Rhodi insulæ, Populi occidui Olympini, Mysomacedones, Trimenothuritæ, Pentademitæ, Orientaliores versus Galatiam, Macedones. Mæoniæ Erizeli, Apud Lyciam Lycaones quorũ regio Lycaonia: Themisonii. Apud Bithyniam Moccadyni & Phulacensij. Montes harum regionum. Ida, ex quo quatuor fluuij, Esepus, Grenius, Simoentes, & Scamandrus, in Hellespontum vergunt. Phrygiæ mõs Cimeus. Mons Timnus in gra. 57. 40. 40. 30. Supra hunc Lydiæ montes Mesotes, Tmolus & Mimas non lõge dißiti. Micale mons inter Caistrum & Meandrum fluuios. Fluuij iam partim enarrati sunt: qui restant hi sunt: Caicus apud Timnum ortus mare Ægæum ingreditur, Hermus infra Sipylum montem ortus. Pactolus supra, in mare Ægæum. Hic postremus ab auri harenis clarus habetur. Caistrus ex Sipylo in mare Icarium. Meandrus ex Celenorum montibus super Ioniam flexuosis adeò recursibus procedit, vt sæpius redire videa-

Lydia.

Montes.

Fluuij.

Pactolus.

Meandrus.

videatur, demũ in Icariũ mare ſeſe exonerat.

Lycia. *Lycia omnis mõtibus Phœnice, Cadmo et Maſicyto, à Caria, Aſia minori, & Pamphylia diſtinguitur: deinde mari Lycio. Populi olĩ Tremyli & Solymi dicti fuerunt. Montes iamiam dicti ſunt. Fluuij: Calbis ex monte Graga ortus: Xanthus ex Cadmo fluuius ingens: Lymyra ex monte Maſicyto. Omnes verſus meridiẽ mari ſe admiſcentes, medium eſt ſub gra. lon. 60.30. la. 36.*

Pamphylia *Pamphylia Lyciam ſecundum littus ad ortum ſequitur: à Cilicia fluuio Ceſtro, deinde montibus & mari terminata. In ea Pto. has adſignat regiunculas: Carbaliam quæ etiam partẽ Lyciæ occupat. Phrygiã quã maiorẽ nonnulli dicũt, in parte Septentrionali et Occidentali, Pyſidiam deinde verſus exorientẽ ſolem. Gẽs eſt latrociniis multum dedita. Terra olearũ fertilis. Habet autem montes continuos Lyciæ montanis, horum qui maxime in ſeptentrionem extat Celenorum tumulus dicitur, qui deinde Lyciæ attinet. Taurus mons, qui per totã Aſiã, Armeniam, Scythiamq́ flexuoſus ſerpit: innumeris flexibus nominibusq́ ſubinde affectus. Ex hoc Ceſtrus flu. Pamphyliæ deſcendit in mare Ægyptiacum. Sunt præterea fluuii duo, Cataractus occidentalior Ceſtro: Eurymedon medius inter vtrunque. Medium obtinet*

tinet gra.lõ.62.30.la.37.20. Cilicia deinde vsque ad sinum Ißicum, & montem Amanũ extenditur, à septentrione monte Tauro: ab occasu Cestro flu. deinde mari finita. Cilices à Cilice Agenoris filio per occupationem nomẽ sumpsere. Sunt autem eorum post Pamphyliam vsq; ad ortum hæ regiones: Leontidis, Thracia quam Ptolomæus asperam regionem appellat, Cetida & Lalaßida à Cestro vsque ad Orimagdum fluuiũ. Hinc Characia ad Calydnum fluuium. Lamotidis deinde ad Lamum fluuium. Postea Lacanitidis ad Sarum fluuium: mediã hanc Cydnus fluuius irrigat. Postremo est ad finem vsque regionis Cilicia propriè dicta, per quam Pyramus fluuius ex Tauro in mare Cyprium descendit. Montes & Fluuij dicti sunt. Omnes autem hæ regiones hoc capite dictæ sub dominio Thurcorum sunt. Cilicia.

CAPVT XX.

De Galatia, Cappadocia, & insulis circa regiones dictas.

GAlatia quæ etiam Gallogræcia fuit dicta, qui post multos errores à Gallis occupata, inter Bythiniam, Asiam minorem, Cappadociam, Pamphyliam, & pontum Euxinum continetur, Regio sanè ingens, fertilis, ac diues, quam etiam Thurcorũ imperator

suæ adiecit ditioni. Diuiditur in regiones aut prouincias has. Prima est ad littus Pōti Paphlagonia. Deinde Isauria mōtanis Pāphyliæ & Asiæ minoris confinis. Eam Lycaonia versus ortum sequitur, partem etiam Cappadociæ possidens. Gentes Galatiæ Tolibosti mōti Dydimo vicini. Tectosagæ à Gallis profecti, mediterranea incolūt. Proserliminits, Tilistobogi. Mōtes Oligas sub gra.63.lat.42.20. Hinc Zaliscus fluuius in Pontum exit. Didymus mons 61.latitu.40.30. Sumit hic originem Sangarius fluuius. Demum ex media Galatia Alis fluuius in pontum defluit. Cappadocia olim Leucosyria, à Cappadoce eius regionis fluuio nomē accepit. Regio frumento pecoribusq; præstantibus nobilis, præsertim equorum laudibus exaltata. Hæc inter Halim fluuium ab occasu, inter Taurum, Antitaurum & Scordiscum mōtes & Thermodontem fluuiū continetur. Pto. in præturas ferè distinxit, scilicet Antiochianā apud Ciliciam, deinde Thyanidis & præturā Gardaucretā, Præturam Ciliciæ & Chamanē sem. Præterea in Pontum Galaticum apud pōtum Euxinum: in pontum deinde Polemoniacum. Extremum regionis Leucosyri incolunt. Tenet mediterranea mons Argeus sub gradibus longitudinis.66.latitudin.40. Vnde Me-

Montes Galatiæ.

Cappadocia.

las

las fluuius per Armeniam minorem decurrẽs postea Euphrati admiscetur. Mediam autem Cappadociam flexuoso ambitu Iris fluuius peragrat, ex monte Scordisco, qui est in longitud. 68.40.*lati.* 41.30.*in Pontum Euxinũ.*

Insulæ verò quæ circa regiones præscriptas adiacent hæ sunt. In Ponto Euxino contra Bythiniam Cianeis insula in gradibus longitudinis. 56.20. *lat.* 44. *Thynias è regione hostii Sangarii fluuij.* 57.40. 43.20. *Irythinus scopulus plus in orientem sub longitudine.* 58.30. 43.25. *Lesbos insula magna in Ægeo mari ex aduerso Asiæ, etiam Mitylena vel Mitellinũ dicta, diui Pauli actis clara sub gradibus lon.* 55.25.39.48. *Tenedos à Tenide puella, dicta prius Leucophris in Hellesponto ferè sita sub long.* 55.*lat.* 40.45. *Pathmos, Posidium, Chy, vel Myndus vna insula maris Ægæi.* 56.20. 38.25. *Icaria, vnde mare Icarium, quod aliis à Dedali filio sic appellatum est, habet long.* 56. 45.37.30. *Samos, Parthenias, Athemus, Melamphyllus Straboni nunc Samothracia dicitur, patria Pythagoræ sub longitudi.* 56. 30. 37.18. *Mynia.* 56.*latitud.* 36.30. *Choa vel Cos insu. Hyppocratis medici natale solum, quæ etiam Merope dicta fuit, sub gradibus.* 57. *latitudinis.* 36.25. *Apud Cariam Astipalæa,*

Insularum descriptio.

Mitellinũ.

Pathmos.

Samothracia.

56.30. 35.40. *Carpathus insula, à qua mare Carpathicum. Hæc nonnullis Porphyris dici-*
Rhodus. *tur sub longitudine.57.20.la.35. Rhodus sic dicta, eò quòd ῥόδον, hoc est rosa, dum iacerentur fundamenta vrbis Rhodi sit inuenta. Hæc à Christianis capta fuit annis hinc.226.nūc iterum Thurcorū vi possessa. Habet grad.58.30. lat.35.30. Supra Lyciam Maxima, vel Megista.60.48.lat.35.15. Dolochista.60.48. 35.45. Chelidoniæ scopuli quinq.61.30.36.10. Crābusa in mari Pamphylico.62.40. 35.50. Sequi-*
Cyprus. *tur demū in sinu Issico Cyprus insula Veneri sacrata: vnde Venus dea Cypria vocatur. Hæc prius Crypta fuit dicta, quia maris vndis videatur abscondi: Item Cerastes, Amathusia & Minois. Mittit vinum optimum. Medium ipsius habet gradus 65.48. 35.30.*

CAPVT XXI.

De Colchide, Albania, Iberia Duabus Armeniis.

COlchis, Iberia & Albania montibus inter se discernuntur qui ex Caucaso originem habent. Colchis regio ad Pontū Euxinum terminatur, diues opum, & amnibus auriferis nobilitata. Hinc fabula est Iasonem ex Thessalia cum Argonautis huc aduentasse, aureumq́ vellus abstulisse. Continet regiones

quæ dicuntur Erretica, Mauralia & Zala. Montes ab aquilone prætensi ex Caucaso oriuntur, A meridie Moschij adiacent. Fluuii Corax, Hippus Cyaneus, Phasis, omnes diuersis locis ex Caucaso orti, in pontum Euxinum exeunt. Proxima est Iberia, cuius gentes bello multum valent. Deinde ad mare Caspium Albania sic dicta, quia incolarū pueri (vt inquit Gellius) albis capillis nascuntur, aut in pueritia canescunt, & plus cernunt noctu per oculos quàm interdiu. Regio frigida & aspera. Canes tanta corporis mole gignit, vt taurum & leonē premant. Tres autē dictæ regiones hodie Tartariæ adscribuntur: Mōs Caucasus hanc à Sauromatis dirimit. Habet autem idem mons portas, quas Sarmaticas vocant authores, circa gra.lon.81.la.48.30. Item in grad.77.la.47. Et portas Albanias sub grad.80.la. 47. Fluuij Albaniæ Cyrus, Albanus, Cæsius, Gerrus, & Soana ex Caucaso profluentes iu Caspio mari desinunt. Sequuntur duæ Armeniæ quarum quæ maior dicitur habet ab occasu Euphratē, deinde Moschios montes qui sunt sub gra.lon. 72.30. 43.30. ab aquilone eosdem Moschios ad mare Hircanum vsque: ab ortu Caspios montes: à meridie Taurum montem. Diuiditur in Cotazenam apud Pontum: in Tosarenam & To-

Iberia. Albania. Portæ sarmaticæ. Armeniā maior.

& Totenam supra Iberiam, vbi nostri sæculi
Georgiani. *Geographi Georgianos describunt quos Christi fidem defendere ferunt. Deinde est Siracena, Sacapena, Hobordena, Sophena, Astamitis, Acilisena vsque ad Caspios montes, Anzitena, Gordena: Demum Coricea, Gordiæa, & Mardorum regio. Montes: Antitaurus qui ex*
Periardes mons. *Tauro procedit. Periardes in grad. long. 76.*
Euphrates. *la. 42. 40. Hinc Euphrates fluuius nominatissimus oritur qui Armeniam in duas diuidens partes dein post mille circuitus Tygri coniunctus iuxta Babyloniæ limites in sinum Persicum egreditur. Ex eodem etiam monte fontes habet Araxes fluuius, verum hic versus ortum*
Armenia minor. *defertur. Armenia minor quam eandem vo-*
Ararath. *lunt esse quæ in libris Regum terra Ararath dicitur, continet Pontum Cappadociæ iuxta litus Ponti. Gissos montanis Iberiæ vicinos. Deinde præturas, Orbalissenam, Ætulanam, Ærethicam sub Antitauro, Horsenam, Orbisenam, Melitenam apud Melam fluuium. Sub Cilicia Murianam, Cataoniam, Lanianam & Arauenam. Hæ duæ Armeniæ Turcorum ditioni subsunt.*

CAPVT XXII.

De Syria, Mesopotamia, Assyria, Iudæa, & Babylonia.

Syriæ

Syria regio sacris literis multum celebrata terminatur ab occasu mari Syriaco & mõte Amano. E regione fluuio Euphrate & parte Arabiæ desertæ. A meridie Iudæa, inter cedente Carmelo monte, à Septẽtrione Cilicia & parte Cappadociæ. Plures eius sunt regiones Comagena apud montem Albanũ. Cirresti ca inter Singam & Euphratem flu. Pieria in littore sinus Issici, deinde Seleucis à Seleuco primo rege Syriæ. Calybonitis ad Euphratem flu. Casiotis apud montem Casium. Chalcidica re. Apamena. Ad littus Phœnicia ex qua Phœnix auis. Sub Libano monte Laodicina regio & Palmyrina. Propè limites Arabiæ desertæ Saccæa regio & Bethanæa. Item Trachonitæ Arabes. Vltima est Cœlosyria vel Curuasyria sic dicta quia inter duos montes curuos Libanum & Antilibanum continetur. Eadẽ decapolis Plinio dicta est. Est autem tota regio Syriæ variorum opũ diues, frugum fertilis, & balsamis opima. Montes habet Pieriam in grad. 69. 40. 35. 35. Hinc Sinoas fluuius versus aquilonem ad Euphratem vsq; procedit. Casiũ montem. 68. 50. 34. 45. Libanum montem diuersarum specierum fertilitate præditum. 69. 20. 33. 30. Hinc quatuor fluuij labũtur, Adonis in occasum, Eleutherus in occasum hybernum,

Phœnicia.

Montes.

Libanus.

Orcus quem nunc Verne vocant in aquilonē, Chrysoroas in oppositam partem, Antilibanum montem in longitud. 68.40.la.32.40. Ex hoc Leon fluuius mare Syriacum petit: & Ior

Iordanis. *danis fluuius latè per Iudæam spargitur. Hippum montem in lon. 68.30.la.30. Demū apud Arabiam desertam Alsadamum montē in gra. lon. 71.la.33.*

Iudæa. *Iudæa inter Syriam Arabiam & Ægyptū consistit, olim Palæstina Syria dicta.*

Galilæa. *Diuiditur in Galilæam proximam Syriæ prescriptæ, quæ regio est frumenti, vini, & olearū*

Idumæa. *fœcundissima: In Idumæam secundū littus maris Ægyptiaci quæ Nabathæa & terra Edom dicitur, regio etiam frugum fertilis. In Iudæā mediterraneā cuius est Hierosolyma longe cla*

Samaria. *rissima vrbium orientis. In Samariam orientalem cuius sunt Samaritani quibus cū Iudæis parum cōueniebat. Mediā Palæstinam irrigat Iordanis fluuius qui se in tres lacus diffundit quarum prima Genesara (vt habet Pli.) aut Genesareth vocatur, deinde hic fluuius in mare*

Mare mortuum vel Sodomorum. *mortuū sese immittit siue Sodomorū (Plinius Asphaltitem lacum vocat) à quo postremo ebibitus aquas laudatas pestilentibus mixtas*

Mesopotamia. *perdit. Mesopotamia inter duos fluuios Tygrim & Euphratem contenta est, vnde & nomen accepit. Adsignātur regiones hæ. Initio*

post

post montana Armeniæ, Anthemusia Chalcitis & Gauzanitis, Apud Tigrim Acabena: Sequitur mediterranea Ingena. Versus Arabiam Ancorabitis regio. Regiones sunt diuites, fertiles, & ab armentorum pascuis laudatæ. Plinius omnes sub Syria complectitur. Montes Casij ab aquilone. Syngaras sub.gra.77.lat. 36.25. Fluuij Chaboras & Ascoras, vterq; ex Casio monte ortus in Euphratem incurrit. Assyria ab Assur dicta secundum Iosephum de anti. Tigri à Mesopotamia, ab aliis regionibus montibus distinguitur vsq; ad Euphratis & Tigris conuentum. Regio amœna & temperata diuisa in Calcenam proximã Mesopotamiæ: Arrapachitam versus Mediam: Adiabenam vicinam Babyloniæ. Mons Niphates ab Armenia prætenditur, ex quo Lycus, Caprus, & Gorgus fluuij in Tigrim vergunt. Babylonia inter Euphratis ambitus ab occasu & aquilone comprehenditur. Ab orientali Tigri, deinde sinu Persico & mõtibus. Septentrionalior eius pars Auchanitis regio dicitur. Media regio Chaldæa in qua campus Duran & Turris Babel, hæc eadem Astronomos præclaros educauit. Sequitur deinde Mardochæa regio. Australem plagam Strophades incolũt. Regio est cum frugum, vitium fertilissima, tum etiam rerum pre

Assyria.

Babylonia.

ciosarum ditissima, in sacris literis Sennaar dicta.

CAPVT XXIII.

De triplici Arabia.

Arabia petraea. *ARabia triplex est. Proxima Palæstinæ Iudææ & Ægypto Petræa dicitur, à Petra oppido quod Nabatæi (vt inquit Pli.) incoluerunt. Continet regiones Munichiatim & Sarraceniam. Gentes sunt Pharanitæ, Ismaelitæ, Agareni, Fatheni, Moabitæ, Ammanitæ & Gerræi. Mons Syna quē Pto. Melanem appellat sub gra. lon. 65. la. 30. Altera est Arabia deserta regio ingens, montuosa,* Arabia deserta. *harenosa & verè deserta, cuius incolæ sunt Bathanæi, Orcheni & Martemi.* Arabia fœlix. *Tertia est Arabia quæ cognominatur fœlix: Nec iniuria, nam præter soli fertilitatē multis aromatum generibus abundat, qualia sunt Aloë, Myrrha, Cinamomum. Camelos alit, Auri gemmarum copiam habet, quæ subinde ad regnum Melindæ Aphricæ deportantur. Clauditur autem regio à septentrione montibus à Meridiæ mari: deinde duobus sinubus Arabico et Persico quibus in modū peninsulæ clauditur. Inter plures gentes quas Pto. adsignat sūnt apud sinum Arabicum siue mare Rubrum Banubari, Sabœi, quorū regio Saba vel Sabæa diues opum, aromatumq́ fertilis.* Sabæa.

fertilis. Elezara regio. Mediterranei sunt Oadi-tæ, Saraceni, Mesamanes, Alapeni, Scœnitæ vagi hoĩes, Smynophora regio duplex, interior & exterior: hæc myrrhã fert. Homerita regio oceano proxima, Gerræi, Anaritæ, Ichthyopha-gi qui piscibus tantũ vescuntur. Versus ortum sunt Sophanitæ, Macæ et Thurifera regio. Mõ-tes, Zames in lon. 76. la. 25. Hippos lon. 67. la. 27. 15. Climax in lon. 76. 30. la. 16. apud hunc Stygis aquæ fons est Maritha mons. 80. 30. la. 21. hinc duo fluuij Laris & Prion fluunt, hic in austrũ, ille in aduersam partẽ. Didymi montes & Zames versus ortũ recedunt, vnde Horma-nus flu. oritur. Melas mons in gra. 81. 30. la. 12. in hoc oliuæ crescũt. Insulæ quæ in sinu Arabi-co sitæ sunt iuxta littus. Zygena, Dæmonũ in-sula in gra. 66. 45. la. 23. 15. Polybij. 67. 40. 21. 20. Ieracum. 69. 30. la. 19. Socratis ins. 70. la. 16 20. Cardamina, Combusta. 70. 30. 14. 20. Mali-chæ duæ. 72. 30. 12. 30. Dioscoridis ins. 86. la. 11. 30. Zenobij septẽ. 91. la. 16. 30. Sarapiadis quã alibi Serapionis dictã vidi, sub lõ. 94. la. 17. 30. Scoyra Christiana cuius incolæ archiepiscopum habẽt, sub. 98. la. 8. Decliuius ad septentrionem duæ insulæ Virorũ & Fœminarũ. Alterã enim barũ quæ est in lon. 94. la. 13. 30. soli viri inco-lunt. Alteram verò sub eodẽ parallelo sitã, sed plus

Montes Arabiæ.

Virorum & fœminarũ.

plus ad ortũ solæ fœminæ quæ singulis annis semel conueniunt cum viris esseq; Christiani perhibentur. Ormus insula diues circa quam margaritarum copia inuenitur in lon. 94. 30. la. 21 grad. In sinu Persico. Appha, Ichara, Tharo, Tylus & Arathos insulæ ignobiles.

Ormus.

CAPVT XXIIII.

De Media, Perside, Parthia, Hircania, Margiana, Ariana, Drangiana, viciniſq; regionibus.

MEdi nomen à Medea nacti maiorẽ Armeniam & Assyriam versus ortum sequuntur, Caspiis & Thoatra montibus distincti. Strabo in Ecathanam & Atropatiam distinxit. Gens est diues & armis potẽs. Continet regiones Marianã, in qua lacus eiusdem nominis, Cheliam, Marundiam, Ragianam. Gentes, Caspios apud Caspium montem & mare Caspium. Cadusios, Tapuros & Madassos. Montem Zagrum. Fluuios, Cambysim & Cyrum ex Caspiis montibus in mare Caspium, Amardum ex zagro in idẽ mare, qui lacum Marianum efficit. Susiana australior est Media parte Babyloniæ, Assyriæ, Persidis, & sinus Persici intercepta: nonnullis sub Perside comprehensa, huius fructus feruntur perpetuo virere.

Susiana.

virere. Persis seu Persidis, montibus, sinu Persico, & Dara fluuio à Carmania terminata: continet sub se Achæmeniã, Drangenã et Elymæã regiones. Rursus Caltapitim & Misdiam: Rapsiam & Hipposagiam. Persæ solem deum statuebant. Iidem si cũ suis matribus coirent, inde magos generari non dubitabãt. Huius imperator hodie Sophy dicitur: qui imperium à Saracenis & Turcis iamdudum ablatũ, strenue quotidie recuperat. Sequitur Parthia montibus vndiq; cincta. Eius regiones sunt Comisena in parte septentrionis, Sabiena in opposita: regiones quæ feras sæuißimas & serpentes alit, Parthi arcubus equisq; exercendis plurimum valent, adeo vt tam priuata q̃ publica officia equis obeant. Hircania ab occasu Medos habet, à meridie Parthos quos Coronus mons dirimit: ab ortu Margianam: deinde mare Hircanum. Regio vini ferax: vbi apes in arboribus mellificare autor est Strabo. Prouincias habet Siracenã & Arsitim & Astauenã. Fluuios Moxeram et Secandam, vtrunq; duobus fontibus ex Corono monte in mare Caspium fluentem. Huic adiacet in mari Hircano Talca insula, in gra. 94. la. 42. 30. Margiana regio admodum vitifera, etiã vndiq; montibus obiectis finita est: qui versus Ariam & austrum Sariphi dicũtur, versus Persæ. Parthia. Hircania Talca. Margiana.

Hirca

Hircaniam Masdoranus. Mediam regionem Margus fluuius (vnde regioni nomen est) diuidit: qui duobus fontib. ex Sariphο scaturiẽs, in mare Hircanũ cũ Oxo flu. exit. Populi secũdum Pto. Derecc æ Massagetæ Parni & Tapuri, hi meridionales, illi septẽtrionales, Massagetæ medij: qui parentũ ac amicorũ ægrotãtiũ carnes esitare feruntur: nam miserũ iudicãt quempiam morbo interire. Ideoq; sanos mactabant.

Massagetæ.

Aria. Ariam regionem cum aliquot sequentium, Plinius sub India aliquibus cõtentas esse ait. Pto. seorsũm descripsit. Terminatur vndequaq; mõtibus, Masdorano ab occasu, è regione Paropaniso: à meridie Bagoo monte: qui regionem incolunt, septentrionales sunt Nisæi & Astaueni: australes Borgi, Ceserotæ & Scorpiofera regio: medij Drachamæ, Paruti & Etymandri. Dyonisius regionem sterilis esse soli ob solis ait adustionem, corallium tamen proferre, vitesq; supra quàm aliæ regiones, ferunt.

Scorpiofera regio.

Drangiana Drangiana Ariam sequitur versus austrum, intercedente Bagoo monte. Australe latus finit mons Bætius, Orientale linea ex Paropaniso monte ducta ad austrum. Diuiditur in Darandas, Batrios & Tatacenam regionem. Transit eam Arabs flu. cuius ostium in Bagoo monte. Incolæ lapidum preciosorum, vestiumq; copiam habent

bent sericarum. Arachosia Drangianam ad occasum reliquit, à septentrione Parueti montes sunt iuxta quem habitāt Pargyetæ. Sydri versus occidentem recedunt. Poplutæ mediam tenent. Eoritæ australem plagam. Hos omnes Dyonisius λινογχλαίνους appellat. i. lineis vtentes vestibus. Arachosus flu. sese in lacum ingentem diffundens ex Parueto monte ad Indū flu. transit. Carmania duplex est: Altera deserta cuius populi & situ & moribus Persis sunt affines: sunt autem Yscithæ, Madomastæ, & Cuchi. Altera quicquid inter montes Persicos & sinum Persicum est, complectitur: sub diuisa in Rhudianam, Agdenitim, Parepaphitim & Cabadenam regiones, ad littus sinus Persici. Rursus in Aras, Caradras, Cautonicas & Chelonophagos, hoc est, testudines comedentes, ad littus maris Indici. Demum sunt maxime septentrionales Camelobosci vel Zozotæ gens bellicosa quæ asinis in bello vtitur. Montes huius regionis Strongilus & Semiramis, in grad. 94. 20. latitud. 25. Sunt item ignobiles alij in medio regionis, ex quibus sex fluuij Dara, Cathrappis, Corius, Achindana, Andanis & Saganus in sinum Persicum fluunt. Salaris verò fluuius ex iisdem montibus in sinum Paragonicum Indici maris. Gedrosia Persicis montibus Boëtio, & Indo flu. intercepta est,

Arachosia.
Carmania
Montes.
Fluuij.
Gedrosia.

cuius regiones, Paradena & Pariſſena: hæc apud Indum flu. illa apud Boëtium montem. Gentes Parſiræ, Carmaniæ & montibus contiguæ, Rhamnæ apud Indum flu. Muzareni mediterranei, fortaſſe legendũ eſt Guzareni: nam
Guzarath. *in hac parte deſcribitur hodie regio Guzarath.*
Cambaia. *Proxima eſt Cambaia, ad littus maris Indici etiam ſub Gedroſia contenta: quæ regem habet*
Bactriana. *& ciuitatem Cambaiam regalem. Bactriana & Sogdiana duæ regiones, Oxi fluuij flexuoſo ambitu diſtinctæ: terminantur ab occaſu, Margianæ mõtanis: à ſeptẽtrione & Scythia, Oxiis mõtibus & Iaxarte flu. ab ortu Comedorũ mõtanis, deinde Paropaniſo. Bactriana ſub ſe continet Chomaros, Salateras, Zariaſpas ſeptentrionales. Medij ſunt Tochari, Aciuacæ, Scordæ, Varni & Sauadij. Meridionales Comi, Tambyſi, Orſipi & Amariſpi. His mos eſt neminem pro delicto morte, ſed exilio tantum punire. Fluuij Gardamanis, Zariaſpes, Dargœdes ex Paropaniſo originem trahentes, omnes cum Oxo fluuio congrediuntur qui etiam in eodem monte oritur.*
Sogdiana. *Sogdianorum incolæ Iatij, Thacori, Augali, Oxidraanæ, Drybactæ & Candari ſeptentrionales: Mardyeni & Drepſiani apud Sogdios montes, qui ſunt in gra. 115. la. 47. ferè. Paſitæ, quibus Oxij montes adia-*

cent in grad.108.lat.47. Chorasmij & Vanda banda regio versus Indiam. Oxiani medij. In hac arbor papyrus folijs tam vastis nasci dicitur, vt quatuor pedes in longitudine æquet. Sequitur Paropanisadum regio versus omnem partem montium collibus ferè compressa, Paropanisus ab occasu & septentrione, Caucasus qui piper mittere fertur ab ortu, Paruetus ab austro. Incolæ Bolitæ septentrionales, Aristophyli & Parusij occidentales, Ambautæ orientales, Parsietæ australes. Fluuij, Gardamanis in medio ortus versus aquilonem Oxo flu. adiungitur, Choas flu. cuius fons in Parueto monte Indo admiscetur. Regio (vt fertur) præter oleum omnia proferens quæ vitæ necessaria sunt, quam Marcus Venetus regionem Torquestensem videtur appellasse. Paropanisides. Torquestēsis regio.

CAPVT XXV.

De Sacis & Scythis.

Sacæ vel Sacosani genus hominum est sagittariæ artis peritissimum, syluas lucosq; inhabitans: nulla enim in eorum regione sunt oppida: totaq; montibus contiguis circumcepta est. Nonnulli sub Scythis comprehendūt. Pto. Sacarum regionem distribuit in Caratas septentrionales, in Comaros, in Grinæos Scythas Toornasq; mediam incolentes regionem,

in Ariſtes & Comedas vnde montes Comedorum occidentales, in Byltas auſtrales, in Maſſagetas orientales, quibus Aſcatangas mons adiacet in gra. 133. la. 47. Sacæ quas optant ſpōſas prius bello adipiſcuntur: qui ſi ibi vincātur perpetuæ ſeruituti addicti in cauernis latitant.

Scythia. *Scythia omnis ſecundum Ptolomæum ab occaſu habet Rha fluuium terminum Sarmatiæ: à ſeptentrione terram incognitam: ab ortu Sericam regionem, cuius limes eſt linea per montes Caſios ſurſum deorſumq́ ducta. A meridie partim Hircanum mare Sogdiosq́, partim Sacas & Imaum montem. Plinius & alij etiam Sogdios, Margianos & Sacas ſub Scythis comprehendunt, atq; hi Imao monte eam ab India ſeparāt, ea ſcilicet parte montis quæ in ortum oc caſumq́ diffunditur. Altera Imai pars ſurſum*

Scythia duplex. *deorſumq́ tenſa Scythiam duplicem diſtinguit, intra Imaum & extra Imaum occidētalem & orientalem. Populi eius nullis conſtant terminis, eo quòd agros non colant neq; conuenticula celebrent. Nominantur his ferè nominibus: Alani Scythæ, Suobeni & Alanorſi citra Alanum montem: Aſmani, Canodipſas regio, Erymni verſus Sarmatas: Mologeni, Samnitæ, Machetegi, Scymbi, Iaſtæ, Galactophagi comedentes lac medij: Aſiotæ, Noroſſi, Iaxartæ ad*

tæ ad mare Hircanum: Anaræ, Aſcotancæ, Tectoſacæ verſus Imaum montem. Atque hi Scythiæ interioris ſunt, quæ tota hodie Tartaria magna vocatur, multumq́ ultra Hyperboreos montes ad ſeptentrionem protenditur vbi multæ & ſyluæ & feræ. His omnibus Scythis præeſſe creditur magnus ille Tartarorum princeps, ob id magnus Cham dictus, vocaturq́ regnum Cathay ad extremũ orientem extenſum. Qui reſtant in vlteriori Scythia ſunt Abij, hoc eſt, non iniqui Scythæ. Hippophagi, Hippopodes, Homobij. Caßia regio quæ Caßiam fiſtulã ferre dicitur, Achaſſa regio, Huius etiam fertur eſſe Tharſos regio cui præfuit Melchior magus. Item Arimaſpi qui (vt refert Pli.) vnum oculum in fronte tantum habent. Neoterici Mongaliſtarum regionem appellant. Montes harum regionum ſunt: Rhymnici vnde Rhymnus flu. in mare Hircanum abit, in gra. 94. la. 56. Sunt præterea Alani mõtes, Noroſſus, Aſpaſij, Tapuri & Anaræi, omnes ferè ortum ex Imao ſumentes.

Tartaria.

Mongaliſtæ.

CAPVT XXVI.

De India.

TOta regio Indiæ Indo fluuio ab occaſu, Sero fluuio ab ortu: Imao, Emodis, Sericiſque montibus ab aquilone, deinde

oceano includitur. Mediam autẽ Ganges flu. (quem nonnulli Phison credunt) diuidit: vnde duæ distinguũtur Indiæ Cis Gangem & Citra Gangem.

India intra Gangem. *India intra Gangem populos continet multos & diuersos cum nominibus tum etiam moribus: quorum qui statim Indum sequuntur Gymnosophistæ magi vocantur, hi vt refert Pli. ab ortu solis ad occasum vsq; immobilibus oculis solem intuentes perstare possunt: Dardæ vel Daradæ inter amplexus Indi fluuij, apud quos formicas vulpium magnitudine aurum effodere fama est, Suastena regio, Lambatæ, Varsa regio, Patalena inter ostia Indi, Chatriæi, Pulindæ, Agriophagi, Cicopletes qui vnicum oculum in fronte habere perhibentur, Sirastrena regio quæ nunc ferè Cambaiæ attinet apud sinum Canticolpum, Larica, deinde versus austrũ Arica & Viripyra regiones vbi*

Narsinga. *nostæ ætatis Geographi Narsingam latam regionem describunt multorumq́; aromatum fertilem. Item Cananoiæ regnum cum oppido re-*

Callecutium. *gio: Callecutium regnum & emporium famatissimum, nam eo omnis generis merces & mercatores ab omni orbis parte confluunt, præterea multa ferunt hæ regiones quæ aliunde petere non opus est. Sequitur in eodẽ quasi tractu versus meridiem Gutschin vel Cuchinum regnum*

&

& Cœlum, quæ paulò latius in meridiem extenduntur, quàm Ptolomæi descriptio habeat. Sequuntur versus ortum Limyrica regio: Carei ad sinũ Colchicum: Pandiones Bragmanæ magi supra montem Betigum, qui est in gra. quasi 126. la. 20. Hinc tres fluuij Pseudostomus, Baris & Solenis in mare Indicum defluunt. Sub eodem monte sunt Ambastæ, Caspiria regio, Soræ, Biolingæ: Adysathri ad montem Adysathrum qui est in gra. 132. la. 22. 30. Hinc Chaberus flu. in sinum Argaricum vergit. Deinde apud mõtem Vxentum qui habet gra. 140. la. 23. 30. Mãdalæ, Dryllophyllitæ, Salaceni, Mesoli Aruarni ad littus oceani. Demum iuxta Gangis exitum Sabaræ quibus Adamas in copia crescit. Item Cocconagæ & Gangaridæ ostiis Gangis circumfusi quarum regio Orphir in sacris literis dicitur. Adnumerant alij plures nationes tum monstrorum tum aliorum diuerso viuentium ritu, incerta tamen designatione: veluti Bygmæos, Ophiophagos qui serpentibus vescuntur, Musicanos, Astacenos, Schiopodes vno pede tantæ (si credere fas est) magnitudinis, vt resupini æstum solis vmbra pedis vindicent, tantæ tum celeritatis vt leporem fugientem adsequi credantur. Feruntur & qui auersas plantas habẽt digitos octonos. Cynocephali

Schiopodes.

Cynocephali.

Astomi. *quorum capita canina sunt. Astomi.i.ore carentes. Plura præterea diuersaq; animantium, herbarum, arborum, cæterarumq; rerum genera scriptores hic comminiscuntur: eo quòd ob rarũ huius regionis aditum, libere cuiuis quiduis effingere licitum sit. Montes præcipui dicti sunt & fluuij. Sunt præterea Apocapi & Pœnæ deorum in gra.lon.120.latit.25. Item Vindius mons.131.la.27. Oriuntur hinc Namadus flu. & Nanagua qui Callecutium perluit: et Soas flu. qui se Indo admiscet. Ex monte autẽ Vxento oriũtur tres fluuij Tyndis, Dosaron et Adamas, circa quem Adamas lapis gignitur. Pro-*

India maior *xima est India extra Gangem quam maiorem appellant, regio non adeo culta atq; illa interior, aut saltem nobis nõ tam exquisita. Sunt autem secundum Ptolomæum hæ regiones seu nationes, Gangan & et Tacoræi proximi Sacis: Marundæ secundum Gangis transitum: Cirradia ad sinũ Gangeticum, in qua galli gallinacei barbati reperiuntur & implumes & lanuginosi. Deinde secundum littoris tractum Aurea regio & Argentea, in quibus multa metalla reperiuntur. Eodem deinde ordine Besyngiti humanæ carnis voratores. Hinc Aurea*

Aurea Chersonesus. Malacha. *Chersonesus est, quæ nunc ab incolis Malacha putatur dici, vt referunt Portugallensiũ nauigationes.*

gationes. Dicũt insuper quòd regio sit vrbibus in modum nostratium ædificatis cõsita: quarum quæ caput est Chnigapola dicitur, regia Sian. Hæc terra præter aurum & margaritas Rhabarbarum gignit arbore (vt narrant quædam nauigationum traditiones) crassa & putrida, nec sine putredine odoris præstantiam habente. Cum colligere est animus, turba hominum noctu, præ timore leonum ac ferarum aliarum arborem conscendit, odoremq́ Rhabarbari vento perferente excipit: exorto dein sole, omnes eam viam arripiunt quam noctu ventus indicauerat, messiq́ intendunt. Sunt præterea mediterranei Indaprathæ, Aminachæ, & alij. Orientales demum Cacobæ, Chalcitis regio, Cudutæ & Sindi genus hominum ferum, cutis adeo duræ vt sagittis traiici nequeat.

CAPVT XXVII.

De Serica, Sinis, & regionibus orientalibus.

SErica regio ab occasu Scythia, ab austro India terminatur: reliqua latera incognita etiam nunc existunt. Incolæ sericum ex arboribus depectunt, quod vermiculus Ser conficit, indeq́ ortum nomen est. Pto. hos describit populos. Anthropophagos, Garinæos septentrionales: Sizyges, Danas, Rhabbanæos, & Asmiræam

ræam regionem in medio. Sequuntur deinde Issedones ingens populus, qui parentum funera cantu aliisq; delitiis prosequuntur, corpora verò carnibus aliorum pecorum commiscentes esitant. Sunt præterea Aspacaræ, Throani, Ottorocoræ, & Batæ incerto ferè omnes loco, commercia aliorum fugientes, quas autem vendere volunt merces iuxta vias collocant, cumq; aliis cōmutāt. Hæ regiones ad Cathay regnū & Chinchitalim regionē pertinēt. At singulatim partes ex Marco Veneto difficile fuerit diuinare.

Sinarum regio. Hinc Sinarū regio est, quā nūc Chynā magnā appellant, ab ortu solis Indiæ maioris post Serum fluuium. Huius rex potentissimus totius ferè mundi celebratur, qui ne regium stemma alieno polluatur sanguine sororem in coniugem sumit. Nulli se conspicuum præbet. Palatium habet mirifice extructum, septuplicique muro communitum: inter quemque ambitum perpetuo vice mutata, decies milleni custodes excubant. Principes immorigeros pelle exuit. Gens est candida sic satis, quæ vestibus mensaque pro epulis ritu ferè nostro vtitur, legis Christianæ expers, crucem tamen Domini (ignota causa) magnifice veneratur. Deinde secundum littora versus ortum nationes occurrunt margaritarum feraces Chienchiji:

Lechij

Lechij autem mediterranea occupant, habētes regē qui 20. regibus dominatur sed regi Sinæ subiectum. Pto. Semanthinos mōtes eiusdemq́ nominis populum describit. Item Spioras & Ambastas, fluuium Aspitharā. quicquid præterea versus ortum vltra. 180. gradus longitudinis restat, non est claris scriptoribus celebratum, ideoq́ tam incertum vt fidem vix ausim adhibere. Describunt verò tales regiones seu prouincias. Chinchitalis prima est post Sericā regionem. Balor regio deinde quæ magna habet deserta, Iudæi clausi inter montana, Tangu, Cathay regiones potentissimæ quibus magnus ille Caam præesse dicitur, Chayram, Thebet. Cyamba, Mangi prouincia quæ omnes cū incertis limitibus nobis sint traditæ non adeò curandæ sunt. Regnum verò Murfuti, Var & Lac quæ longo protractu in meridiem describunt ab Hispanis non eo modo sunt inuenta, sed eo ferè situ insulæ Molucæ describuntur. Lac regnū.

Hanc autem partem Indiam superiorem vel orientalem appellamus in qua diuersa hominū instituta & mores comperiuntur voluntq́ quosdam ibi agere Christianos alios syluestres alios alio modo viuentes, fides horum penes autores esto.

CAPVT XXVIII.

De insulis maris Indici.

INcipiemus primũ ab eo loco in quo paulò ante insularum enarrationem omiseramus. Sũt ergo in sinu Persico iuxta Carmaniã Sagdana in grad. 94. lat. 23. 15. Vorochtha. 94. 20. 25. 30. Contra Persas Tabiana & Soptha, Item Alexandria vel Aracia in gra. 90. la. 29. 30. Deinde in Indico oceano Carmina. 102. lat. 18. Liba 103. 30. 19. 0. Quæ Gedrosiæ adiacẽt Asthæa, Codana, Baraca, ignobiles sunt insulæ. Sequitur Seylana insula magna & diues in qua etiam multa aromata crescere fama est, potissimum cinamomum & Zingiber, habetq; montẽ excelsum quem montem Adæ vocant. Putant enim incolæ in hoc monte Adamum pœnitentiam egisse, sita est sub gra. lon. 118. 30. lat. 6. 40. Sequitur Taprabona insula totius mundi maxima quæ nunc Samotra vel Sumatra dicitur, diues multarum rerum & potens, cuius rẽx ne regnum hæreditarium fiat liberis gignendis operam dare prohibetur. Referunt Lusitani iã in quatuor diuidi regna quæ & tributa pendunt magno Chamo Tartarorum ac Scythiæ totius principi potentissimo. Incolæ & si Christianæ religionis ignari sint, legibus tamen ac æquitati parent, signata vtuntur moneta aurea, argentea,

Seylana.

Samotra

gentea & ærea. Mittit insula hæc piper abundanter & maximos elephantos. Hæc Ludouicus Rom. Ptolomæus eam antea Simondi dictam fuisse tradit, tempore verò suo Salicam populosque communi vocabulo Salas, præterea omnes vtriusque sexus muliebribus ornamentis tectos incedere. Circum Taprabonam cohortes sunt insularum. 1378. numero, quarũ tamen nomina extant hæ sunt: Nanigeris, Cory ad septentrionalem plagam, Vangana & Canathra ad latus occidentale. Hinc facile crediderim Samothram eandem esse cum Taprabona de qua tamen multi plurimum dubitant. Secundum idem latus Egidion, Orneos, & Ammina. Monacha sub Æquatore, Carcus, Philigus, Irena, Calandadrua polum Antarcticum supra suum hemisphærium conspicuum habent, Ad australe latus Taprabonæ Arana, Bassa Balaca, Alaba & Cumara. Versus orientem Zaba sub æquinoctiali, Zibala sub primo parallelo arctico, Nagadeba sub secundo, Susuara sub tertio ferè. Sunt præterea Maniolæ insulæ decem duobus gradibus demissiores æquinoctiali, quarum incolæ anthropophagi feruntur, ibique lapis Herculeus naues quæ ferreis clauiculis compactæ sunt detinere phibetur. Ex aduerso aureæ Chersonesi

Hæc ex Ptolomæo.

Maniolæ.

Barussæ,

Barussæ, Sindæ, & Sabadicæ insulæ sitæ sunt etiam anthropophagis occupatæ. Demum Satyrorum insulæ quarũ incolæ caudas habere perhibentur quales Satyris tribuere consueuimus.

CAPVT XXIX.

De insulis nuper inuentis.

HActenus parum aut nihil à Ptolomæi veterũq; autorũ vestigiis digressi sumus, sed nunc cũ eo loco quo Ptolo. Cattigaram longè vltra Æquatorẽ prominentẽ descripsit, & deinde alij adnectentes regnũ Var Moabar & alia incerta ferè ratione, nulla post frequentes vltra citraq; Æquatorẽ nauigationes terra continens inuenta fuerit, sed insularũ infinitus penè numerus: de earũ situ omissis veterũ erroribus pauca subnectemus, quæ quidẽ ex Maximiliani Transyluani viri laudatæ tum honestatis ac probitatis, tum etiã non mediocris eruditionis, epistola: deinde etiam ex pluribus Hispanorum nauigationibus in epilogũ quasi collegimus. Prima igitur occurrit Iaua maior cuius rex affiniũ insularũ regibus dominatur, & ipsa in quatuor regna diuisa, sub gra. 155. la. 8. aust. magna pars incolarum anthropophagi sunt. Nã & ægros quorũ vita deplorata videtur, mactant, sic eos à longo mortis cruciatu liberantes. Ita quoq; Massagetarũ instar parẽtes

Iaua maior.

tes senio confectos, atq; ob id vitæ actionibus incommodos, aliis esitandos vendunt: Omnes ferè Idololatræ sunt, quos Caffranos nuncupant. Habent tamē suas quasdā æquitatis leges aut ritus quibus parent. Habent & æris & auri copiam. Iaua minor insula eiusdē long. la. 3. aust. Porne insula sub lon. 174. lat. 4. grad. Hæc eadem Burne vel Burnea dicitur, tanta est magnitudinis vt trimestri spatio vix obiri possit, Incolæ gentiles sunt, iustitiæ tamē pacisq; atq; amicitiæ strictissimi cultores, Ædes eorum exiles ex ligno terraq; constructæ. Vxores ducunt quot alere possunt. Panē ex oriza cōficiunt, Potum liquor qui de concisis palmarū ramis exprimitur præstat, Argento viuo epoto morbum depellunt, sanitatemq; tuentur, Margaritarū ferax est insula, nam aliquando ad oui gallinæ quantitatem reperiri ferunt. Non longe hinc duæ insulæ sub long. 180. ferè gra. la. 8. Bibalon & Cimbaubon vbi crocodilos esse dicunt, & arborem cuius folia defluxa vita assumpta mouētur animantium modo. Puloam ficuum fertilis lon. 179. la. 10. 30. Panilonga vel Panilongon Æthiopibus habitata lon. 181. la. 14. 20. Hoc tractu plures deinde sunt insulæ sparsim in mari sitæ, quarum longitudines & latitudines incertæ etiam nunc existunt, quarū sunt Baxbay Cathi-

Iaua minor.

Puloana

Panilonga

Subuth *Cathigan, Bohol, Culon, Canghu. Subuth insũla sub lon.189. 10.11.minutorum. Huius multi proxima nauigatione fuerunt baptizati, alliciti miraculo quo quidam æger prorsus extenuatus & ab omni spe destitutus Christi nomine fuit sanitati restitutus. Truncus arboris palmis ferè similis eis pro pane est, Potus ex palmarum ramis conscissis exprimitur. Hinc*
Massana. *ad austrum sub la.9.gra. Massana insula cuius incolæ aurũ quod in copia habent pili faciunt, nam pro rebus vilibus & quisquiliis multum sæpe auri commutarunt. Gens est agilis multũ, nuda natura tantũ obtecta, fœminæ infra vmbilicum obuelantur capillis ad talum vsq; eædẽ in cadauerũ iustis faciendis miserabiles luctus exercent, incumbentes cadaueri os ori manũq;*
Mattan. *manui applicando. Mauthan aut Mattã sub lat.10.grad.non longe à Subuth. Huius incolæ bello multum valent, nam fecit huius periculum Magellanus præfectus classis qui ibi cum multis sociis cecidit. Hinc versus ortum & arctos plures sunt insulæ Zuluan, Buthu-*
Inuacana. *an, Calagan, & Inuacana diuites auri, omniq; genere aromatum, quod nostra sufficit regio sunt impletæ, medium omnium est sub long.*
Gelolo. *185. latitud. 10. Gelolo vel Syloli insula sub lon.186.la.2.eius incolæ id quod primum mane*

egre-

egredientibus ſeſe obtulerit pro numine habẽt. Naſcuntur hic arundines pedali amplitudine aquam potioni peraccommodam ferẽtes, hicq́ fœminas vento concipere fabulantur. Ab hac verſus occaſum vltra citraq́ Æquatorem exigua inter ſe diſtantia, ſub lon. 185. gra. nobiles illæ inſulæ Moluccæ deſcribuntur, quarum beneficio totus penè orbis aromatibus impletur. Quinq; numerantur Thedore vel Tadore, Tarante vel Taranatæ, Muthil, Mare, & Machian. Tadore ſeptentrionalis eſt ad dimidium quaſi gradus, huic præeſt epiſcopus quadragenis ex conſuetudine fruens vxoribus. Tarante verſus antarcticũ. 40. minutis ab Æquatore diſcedit. Machiã quindecim minutis, Muthil ſub Æquatore conſiſtit. Incolæ Caphræ ſunt, hoc eſt, gentiles, admodum egentes, quandoquidem præter aromata nihil ferè apud eos proueniat, latent tuguriolis multum demiſſis, denique vt ait Maximilianus Tranſ. omnia apud eos ſordida & humilia ſunt præter pacem, ociũ, & aromata. Arbor Garyophylli ſiue Caryophylli (propter foliorũ ſimilitudinẽ cum iuglandium foliis) quæ in his inſulis creſcit pro cera aſſurgit, craſſitudine medij hominis, ſenſim graciloſcens, ex medio autem ramuſculi lati uſcule effunduntur, folia ſpecie laurinorum. Garyo-

Moluccæ inſulæ. Tadore. Incolarum mores. Arbor Garyophylli.

Garyophylla autē quæ clauos ob similitudinē vocamus extremis ramis coniuncta enaſcūtur. Creſcit præcipue in tribus inſulis Tarante, Tadore, & Machian. Muthil cinamomum mittit, corticem ſcilicet arboris cuiuſdam ſurculoſæ ad ſolem arefactum & detoſtum. Poſt has in auſtrum plures ſunt inſulæ quarum maxima Badam dicitur, hic myriſtica nux naſcitur gemino cooperta operimento, exterius ligneū eſt, alterum quod nucem complectitur tenuis membrana nos florē muſcatæ dicimus, ab Hiſpanis macis vocatur. Circa hanc duodecim ſunt inſulæ paruæ ſub lon. 180. la. 6. auſtra. In his zingiber paſſim prouenit, aliud ſponte aliud ſeminatum. Radix eſt cuiuſdā herbæ adſimilis ei quæ crocum producit. Ambuon inſula ſub lon. 187. 30. la. 6. auſt. huius incolæ anthropophagi ſunt. Buru ab illa verſus occaſum ſub lon. 183. la. 6. auſt. Tenetum in lon. eadem, la. 3. gra. auſt. Sequuntur Laboan, Bachian, & Caphi pluresq́ paruæ inſulæ quas ob incertum ſitum omittimus: in vna harum Pygmæos degere fama eſt. Sullach anthropophagorum inſula ſub lati. 3. graduum auſtralium. Malua ſub lon. 177. gra. la. 8. 30. auſt. Non lōga hinc intercapedine (vt ferebant accolæ) homines degunt cubitales, aures tam vaſtas habentes, vt alteri pro ſtrato in

[Margin: Cinamomum. — Badam. — Myriſtica nux. — Zingiber — Ambuon — Buru.]

cumbentes altera sese cooperiant. Timor insula satis magna sub lon.178.gra.la.13.aust. Huius fœminæ inaurium ornamentis armillisq; vtutur. Sandalum vbertim hic prouenit, quod solenni & rata lunæ cursus obseruatione colligitur. Iacent in oceano versus Americam insulæ duæ latronum sub æquinoctiali. Nomen dederunt mores incolarum, qui furto & latrociniis plurimum dediti sunt. Gens inops & solers. Mulieres formosæ admodum, longis nigrisq; capillis, nudæ præter naturam, quam tenui membrana velut folio papiraceo obtegunt. Ædes ligneæ, conclauia lectosq; habent quibus paleam palmeam molliusculam sanè substernunt. Nauiculas ex trunco excauato cum velis extructas, tanta arte regere norunt, vt volare videantur, puppim proræ proramq; puppi commutantes, singulæ singulos capiebant rectores. Demum sunt duæ insulæ infortunatæ sub lon.240.la.23.30.aust. Dictæ sunt infortunatæ, quia cum Portugallensium classis ad eas applicuisset, iamq; ferè omnes inedia confecti essent nihil rerum necessariarum ibi inuenerunt sed desertas viderunt. Si præterea restent insulæ (vt restant) quarum mentionem non fecimus, illæ aut exiguæ sunt aut propterea quòd nihil de earum situ certi constet omissæ. Nec

Timor.

Insulæ latronum.

Infortunatæ

moueat animos Lectorum si fortasse longitudines & latitudines harum insularum nonnihil ab aliorum traditione discrepent. Supputauimus enim longitudines ab occasu in ortum, alij contrario ordine procedunt. Laitudinem secundum medium insularum sumpsimus, quam nonnulli ad locum tantum applicationis referunt. Verum neq; mirari oportet longitudinis magnā diuersitatem inter eos qui hodie regiones describunt. Nam & ii qui alio atque alio tempore nauigant ad has insulas, non eodem modo conueniunt. Quod aut artis Astronomicæ errorē fieri oportet, aut quod Lusitani Moluccas insulas in Occasum contrahant, quas reliqui Hispani versus Americam extendunt, vtraq; pars ad suam ditionem, quæ circa 180. gradus longitudinis finitur, tam diuites nobilesq; insulas reducere contendens. Ingenti sanè errore. Cum altera descriptio ab altera in longitudine 30. fermè gradibus discrepet. Nos sanè qui hanc litem absque experientia dirimere non possumus, secuti sumus descriptiones Lusitanorum nobis à Maximiliano Transyluano viro magnæ eruditionis & non paruæ auctoritatis (dum in viuis erat) apud Imperatorem nostrum Carolum Quintum, à quo easdem acceperat. Quòd si dies aliud doceat, non verebimur cum

Ptolomæo recentioribus obseruatis fidem adhibere modo cum ratione firmentur.

CAPVT XXX.
De America.

AMerica ab inuentore Americo Vespu-tio nomen habet, alij Bresiliam vocant, quæ an continens an insula sit necdum satis constat. Incolæ qui propius Æquatorem consistunt Canibales vocantur atrocissimum genus anthropophagorum. Vicinas enim nationes dira infestant persecutione, & quoscunque capiunt in suam regionem adducunt. Masculos autẽ statim occidunt, & comedunt carnes tostas aut aliter coctas, aut exectis testibus mactãdos alunt, fœminas seruitiis addicunt, nudi penitus incedunt. Qui deinde sequuntur vltra Tropicum Capricorni, mitiores sunt, numinis vice nihil colunt, lege tantum & instinctu naturæ viuunt, viri fœminæque nudi agunt, nisi ex plumis psitacorum quasi palliũ longo post tergus relicto cyrmate conficerent. Tori maritalis illibatam fidem seruant. Labia, aures, genitaliaque perfossa lapidibus preciosis ornant foras eminentibus. Omni genere ferè metalli carent, ideoque tela osse muniunt, lignaque pro scaphis Bresilia. Canibales.

lapidea securi excauant. Sagittatores peritissimi, natatores expertissimi, & cursu admodum Bresilia *veloces existunt. Regio Bresilia aut terra Papagalli vocatur. Propius ad polum antarcticum circa la. 48. grad. alia gens est cursu tā celeri vt equū cursu vincere posse videatur. Gygantes non iniuria dixerim cum Lusitanorum vix aliquis eos æquarit qua medij cinguntur. Vagi sunt, in tuguriolis latitantes eosq́ secum transportantes. Pauperes sunt nihilq́ eorū terra preciosi producit. Integuntur pellibus ferinis bellè consutis, arcus ingentes telaq́ secum deferunt, capillos in modum monachorum detonsos habent, obstructos funiculo lanugineo, ad quem venaturi tela connectunt, cum animam agunt morituri magnus numerus spirituū malignorum sese illis ostendit, ea figura qua apud nos pinguntur. Pars iam dicta Portugallensium nauigationibus lustrata est, qui vltra hāc transierunt ad insulas Moluccas. Iam verò paucis hinc annis cœpit & littus occidentale* Peru *ipsius Americæ lustrari, in quo regio Peru deprehensa sub longitud. 290. grad. lat. Australi 8. ·. & 10. Regio tanta abundans auri copia, vt & vasa in vsum viliorem ex auro conficiantur, & domus nonnullæ integantur. Frumēto bis per annum gaudet, animalium omnium*

ferè

ferè genere dotata, feris ac lethiferis animalibus se liberam iactat. Ciuitates habet & regias & multas legibus atq; armis munitas. Incolæ humanitatis non sunt expertes, commerciaq; cũ aduenis tractant. Verum hactenus Christum ignorarunt, quem precamur vt suum spiritum illis donet. Altera verò pars Americæ quæ ab Æquatore versus septentrionem protenditur ea quotidie per Castellanos & lustratur & inhabitatur. Sunt autem tales regiones, Parias Parias *regio, Cutana, Dariena, cuius vna pars tam* Dariena *arcta est, exedentibus vtrinq; oceani fluctibus, vt quatuor tantum miliaria contineat, hinc oceanus occidentalis est, illinc Eous. Gentes harum licet religionis Christianæ ignaræ sint, legibus tamen & viuendi institutis vtuntur, sacra faciũt suo ritu, alij penitus nulla, vt sunt qui Pariam regionem incolunt, in lectis pensilibus dormiunt, domus similes nostris tintinabulis aut campanis extruunt, aurum gemmasq; in copia habent. Quæ deinde sequuntur regiones terra Florida & Bacalearum regio, non* Florida. *adeò sunt lustratæ nisi secundum littus, Sunt hic regiones feracißimæ auri omniumq; animãtium, campi amœnißimi, montes excelsi, & fluuij placidißimi, ciuitates & turres & domus adfabre constructæ, adeò vt nostra Europa non*

multò inferior habeatur hæc pars. Populi sunt affabiles & contractus non fugientes, plures eorum ichthiophagi sunt, alij ophiophagi. Inter omnia tamen oppida nullum præstantius in his regionibus aut maius eo quod Temistelan appellant, secundum nostram descriptionem ferè sub Tropico Capricorni situm, lociq; natura munitum. Est enim situm in lacu maximo, pontibus innumeris vndequaque egredientibus, Ædificiis cum Dedali structuris conferendis ornatum. Incolæ scribere norunt & legere. Hanc partem terræ multi Asiæ adnectunt di cuntq; continentem esse, sed horum ratio certa non est, igitur neq; temerè assentiendum puto. Ego cum ex nauigationibus Hispanorum & aliorum possem multa adducere quibus huius descriptionis incommoditatem ostenderem, adducam tantum vnum argumentum, ne videar omnino frustra huic opinioni reclamare. Marcus Venetus qui omnes regiones Indiæ orientalis lustrauit, ibiq; ad annos plures habitauit, scribit lib. 3. se per regionem Mangi ad oceanū vsque peruenisse, ibiq; nauem conscendisse, & per Garbinum (qui est inter meridiem & zephyrum) ad Cyambam nauigasse miliaribus italicis. 1500. A Cyamba delatus est deinde miliaribus totidem ad Iauam maiorem insulam

America cū Asia non coniungitur.

lam versus austrum ferè. Quonam pacto posset quispiam ex terræ nouæ latere orientali, cum per eam transitus non sit, versus meridiem ad Iauam maiorem nauigio proficisci? cum hæc insula nunc obseruata sit apud Indiam. At ego rem incertam experientiæ & Lectorum iudicio committo.

CAPVT XXXI.

De insulis apud Americam.

Hispaniola insula sub lō.306. la.22. graduum, admodum culta, vrbibusq̄ consita est, nam eius magnam partem nunc Hispani incolunt, qui auri fodinas possident, in eisque operarios suo regi alunt, nascitur enī aurum & in montibus & in fluuiis: iidē agros colunt, semina iactant & ciuitates more suo ædificant. Insulani nudi ferè incedunt, panem ex radice quadam conficiunt, aurum auribus naribusq̄ suspendunt. Mittit etiam hæc insula lignum Guaiacum, quo nostri tanq̄ remedio præsentissimo aduersus morbum gallicum vtūtur. Isabella Cuba vel Ferdinandina sub lon. 193. grad. la. 23. & semis longe in ortum occasumq̄ diffusa, moribus superiori haud dissimilis, ferro caret, sed eius vsum lapis pellucidus supplet. Iucatana sub longitud. 281. grad. lat. 20. Incolæ benigni sunt & commercia non fu- Hispaniola Isabella Iucatana

gientes, vestes ex gonsapio diuersimode tincta conficiunt, Fœminæ ab vmbilico deorsum integuntur, tanta verecundia vt vitio detur si pede aut crure discooperto processerint. Huic Cozumella *proxima est versus ortum Cozumella insula eiusdem ritus ac instituti cum præcedenti insula. Ab eadem Iucatana.100. quasi miliaribus hispanicis in occasum tres sunt insulæ* Sacrificiorum. *Sacrificiorum. Nomen indidit ritus nephandus insulanorum, quippe qui marmoreis suis deis proles suas immolant, primum pectore aperto cor eruunt, eiusque sanguinem labiis deorum suorum illinunt, exta igni iniecta comburunt: alioqui gens satis familiaris & benigna, habent lon.268.la.23.gra.* Iamaica *Iamaica insula sub long.295. lat.15.30. Insulani adiacentibus similes sunt in moribus & vitæ institutis. Est item infinitus ferè numerus insularum in longitud.315. latit. 12. ex quibus sunt Dominica, Guadalupa, Sanctæ crucis, quarum incolæ Canibales sunt, de quorum moribus supra mentionem fecimus. In lon. rursus.340.grad.la. 38. Graciosa Ternera, S.Michaëlis, Fatalis & S. Mariæ. Insula viridis quæ aliis Brasil dicitur in lon.354.la.51. Deniq; vt semel finiam, tãtus est in hoc oceano numerus insularũ, vt si omniũ descriptiones & mores prosequi animus esset, libellus*

libellus in magnum volumen excresceret. Verum si quispiam est qui latiorem harum rerum enarrationem cupiat, alios consulat: nobis satis visum fuit præcipuas tantum mũdi partes breuibus verbis (vt principiis artium opus est) indicare. Neque enim omnem Cosmographiæ, totiusq; orbis descriptionẽ ad vnguem deliniare præsentis fuit instituti, sed tantum maiores orbis partes rudiori ordine, veluti pictores, qui primum imaginem lineis exterioribus & principalioribus exprimunt, quales sunt capitis, colli, brachiorum, ventris & crurium, postea exactiora & minutiora ceu oculos, os, labra, singulosq; articulos producturi.

FINIS.

CANDIDO LECTORI
Gemma Phrysius
S. D.



T si multos præclarosq; autores iamdudum non sine magna omniũ laude de Cosmographia deq; aliis id genus artibus scripsisse minime inficias ire possim, non tamẽ ob hoc candide Lector ὄνῳ ἐν πιθήκοις vt aiũt erimus, aut arrogãtiæ & temeritatis nota digni censebimur, si post tãtos tantæq; industriæ viros, quales fuère Ptolomæus, Strabo, Stephanus, Mela, Plinius, & plures etiã nostræ ætatis viri doctissimi, tandem aliquid in lucem ædere tentauerimus, quãdoquidem non eo sunt à nobis animo incœpta, vt eos æquare ne dicam excellere conemur, quorum ego scripta sarta tectaq; (vt dici solitum est) semper habui. Sed quum indies nouæ terrarum partes lustrentur, quarum hi autores nõ meminerunt, nec tamen ideo culpandi, deinde etiam alia atque alia regionum nomina suboriantur, quod sanè non paulũ lum tenebrarum studiosis offundit, demum quia iam nuper Globum cum summo labore ex autorum veterum descriptionibus & Hispanorum Lusitanorumq; nauigationibus deliniatum æderemus, multosq; qui eius præclarũ atq; iucundum vsum ignorarent videremus: His inducti rationibus vno quasi fasce non omnia sed præcipua autorum & veterum & recentiũ placita de regionum distinctionibus comprehendimus, vsumq; nostri globi (Laconismo quodam) explicuimus, ne Lectoribus aut emptoribus globi nostri id eueniret, quod Gallo gallinaceo apud Æsopum, aut Graculo cum fidibus vt solet dici. Scio tamen futuros, vt suus cuiq; mos est, qui meam breuitatem culpabunt, alios qui omniũ demonstrationes desiderabunt quorum hic mentionem facio, sed eos triti iamdudum prouerbij meminisse velim, quod dici solet: Vt possumus quando vt volumus non licet. Potuissem equidem diffusissime omnium

nium regionum naturas, vrbes, & minima quæque ex diuersis autoribus collegisse, variisq; figuris libellum exornasse, Verum præsens institutum aliud monebat: Nempe compendio quodam cœlum cum terra comparare: ac vsum sphæræ solidæ breuissimis præceptis manifestum reddere. Vbi si libuisset, Dij boni quanta nobis erat aperta fenestra digrediendi ac dilatandi quasi in infinitum susceptum opus. Sed hæc ex aliis colligenda dimittimus lectoribus, cum extent passim multo plures de iis rebus auctores, quàm antea enumerauimus. Ad quos sanè legendos, nos viam strauimus, ac fores patefecimus. Vale. Ex Antuerpia. XVII. Kalend. Octobris

M. D. XXX.

TABELLA CIVITA-
tum aliquot insigniorum secundum longitudinem & latitudinem.

Alexandria Ægypti	lon.60.30.la.31.0
Ancona Italiæ	35.40 / 43.42
Antuerpia	26.36 / 51.28
Argentina	30.4 / 48.45
Amsterdama	27.34 / 52.40
Aquisgranum	28.52 / 51.5
Antiochia	70.15 / 37.20
Ambratia	48.0 / 38.20
Athenæ	52.45 / 37.15
Augusta Vind.	33.0 / 48.15
Babylon	79.0 / 35.0
Bamberga	33.0 / 49.56
Barsalona	10.0 / 41.30
Basilea	29.50 / 47.40
Berlinum	36.30 / 52.50
Bononia	33.5 / 43.54
Brugæ Flan.	25.6 / 51.30
Bruxella	26.42 / 51.24
Bizantium	28.20 / 47.36
Burdigala	18.30 / 46.0
Brundusium	42.30 / 39.40
Brema	30.0 / 52.25
Buda	44.30 / 47.0
Calecutium	116.0 / 16.0
Caschouia	46.0 / 50.0

Cæsa

Cæsarea	56.40 / 41.40
Cæsarea Strat.	66.15 / 32.30
Colonia Agr.	29.0 / 51.0
Compostella	6.0 / 44.20
Corduba	8.0 / 37.50
Cracouia	45.30 / 50.12
Constantia	30.30 / 47.30
Cleuia	29.35 / 51.58
Cartago Af.	34.40 / 32.40
Cyrenæ	50.0 / 31.15
Corinthus	51.15 / 36.55
Constantinopolis	55.30 / 43.0
Cayrum Bubalis	63.0 / 30.15
Dantiscum	44.15 / 54.50
Dauentria	28.44 / 52.30
Dirachium	45.0 / 40.50
Damascus	69.0 / 33.0
Edenburgum Scotiæ	19.0 / 58.0
Erfordia	34.0 / 51.10
Ephesus	57.40 / 37.40
Edessa	72.30 / 37.30
Ferraria	33.45 / 44.20
Florentia	34.30 / 43.10
Francofordia Re.	30.30 / 50.12
Friburgum Bris.	28.0 / 48.15
Fessa Aphricæ	5.30 / 34.40
Gandauum	26.8 / 51.24
Genua	30.30 / 43.40
Geneuora	28.16 / 45.52
Groninga Frisiæ	29.24 / 53.16

Gry-

Gryphiſwalda	36.30 / 54.18
Haphnia Daniæ	37.30 / 57.20
Hybernia inſula	12.0 / 56.0
Hieroſolyma	66.0 / 31.40
Herbipolis	32.0 / 49.54
Hiſpalis	6.36 / 37.0
Ingolſtadium	33.0 / 48.50
Ilium	55.50 / 41.0
Iuliacum	29.15 / 51.5
Louanium	27.8 / 50.56
Londinum Angl.	19.15 / 52.30
Leodium	28.0 / 50.51
Lubecum	34.0 / 54.50
Lugdunum Gal.	24.0 / 45.10
Lutetia Pariſ.	23.20 / 48.0
Lundis Gothiæ	41.30 / 57.25
Lipſia	34.45 / 51.25
Luneburgum	33.0 / 54.4
Machlinia	26.50 / 51.12
Magdeburgum	34.30 / 52.10
Mons Regius	46.45 / 54.17
Maſſilia	25.15 / 43.6
Mons peſſulanus	24.56 / 43.5
Mediolanum	32.0 / 44.40
Metis	27.15 / 46.16
Moguntia	30.0 / 50.18
Mantua	32.0 / 44.28
Melita	38.45 / 34.0
Mecha	71.45 / 22.0
Neapolis	40.10 / 41.0

Nidrosia	39.45 / 60.50
Norinberga	33.0 / 49.24
Niniue	78.0 / 36.40
Nogardia	66.0 / 62.0
Oliosippo Lisbona	5.10 / 39.38
Onolsbachium	32.0 / 49.33
Patauia Germ.	35.0 / 48.30
Praga	37.30 / 50.4
Pons Aéni	35.0 / 46.55
Portogalla	5.48 / 41.35
Philippis	50.30 / 41.40
Roma	36.20 / 41. 50.
Riga Liuoniæ	53.45 / 59.0
Reualia	54.15 / 62.30
Ratisbona	33.30 / 49.10
Rothomagus	21.15 / 49.0
Roſtochium	34.0 / 54.36
Salmantua	8.32 / 40.15
Salsburgum	35.15 / 47.38
Salueldia Tur.	33.45 / 50.46
Stridona	43.30 / 44.30
Stockholma	47.0 / 60.30
Stetinum Pome.	37.45 / 54.0
Segina	39.0 / 44.45
Toletum Hiſp.	10.0 / 39.56
Traiectum infer.	27.34 / 52.30
Tubinga	35.30 / 48.33
Treueris	28.0 / 49.55
Taurinum	31.30 / 43.0
Turonia	20.55 / 47.30

Theſ-

Thessalonica	49.50 / 40.20
Tarentum	40.45 / 39.45
Tingis Afr.	6.30 / 35.30
Venetiæ	34.30 / 44.50
Vienna Gal.	24.15 / 44.48
Vienna Aust.	37.45 / 48.20
Villacum	36.15 / 46.8
Vlma	32.0 / 48.0
Vratislauia	39.15 / 51.10
Vuitteberga	35.0 / 51.54
Valencenæ	26.29 / 50.10

Huius tabellæ numeri virgulam præcedentes longitudinem ab insulis fortunatis significant. Qui verò virgulam sequuntur, latitudinem ab Æquatore. Prior verò duorum, gradus seu partes notat: posterior scrupula siue minuta.

FINIS.

Sequitur Tabula stellarum fixarum.

TABVLA
STELLARVM FIXARVM
verificata ad annum Christi M. D. L.

Nume.	Stellæ.	Longi. S.	G.	M.	Latitu. P.	G.	M.	Magni.
	VRSAE MINORIS.							
1	*In extr. cau. alrucaba.*	♊	21	5	S	66	0	3
